

1580
fehne

GEORGE VON ALVEN
CHRISTOPH VON ALVEN



Handschrift 137

00

in

Celichius, A.

in 4 weitere Schriften

in Breunz in a

K. III. 9.



Cr.





AB 155 058



DOCTRINA
DE PECCATO
ORIGINALI, QVAE
STIONIBVS ORTHO-
doxis breuiter illu-
strata.

Autore

ANDREA CELICHIO.



Gustronij.

Ex officina Augustini Ferberij, Anno 1582.

Cum Priuilegio ad Decennium.

PRIVILEGII SEN-
TENTIA.

CAutum est autoritate Illustrissimorum Sa-
cri Rom. Imperij Principum, Electoris
Brandenburgici, Administratoris, Archiepi-
scopatus Magdeburgensis, & Ducis Megapo-
lensis, ne quis in uniuerso eorum dominio, An-
dreæ Celichij quæstiones de Peccato Originali,
Gustrouia editas, intra decennium imprimat,
alibiue impressas inter promercales habeat.
Qui secus, præter voluntatem M. Francisci
Omichij, faxit, ei certa pecunia mulcta
indicta est, quam Diplo-
mata exprimunt.



NO BI-

NOBILISS. GENERE,
 SAPIENTIA, DIGNITA-
 te, & Auctoritate viro D. NICOLAO KAAS,
 Inclyti Regni Daniae Cancellario Magni-
 fico & c. Domino suo ob-
 seruandiss.



Vantum in omnibus Disciplinis
 momenti habeant instituta de Re-
 bus utilibus ac necessarijs Exami-
 na, quorum sermo partim ^{ῥητικὸς}
 partim ^{ἱκνητικὸς}, apud utriusq; lingua probatissi-
 mos quosq; et vetustissimos auctores, per uulgata
 iam olim consuetudine, toties usurpatus extat,
 de eo sanè, quanquam Argumentum conueni-
 ens erat, nihil prolixè nunc commemorare mihi
 libet, ad te praesertim virum Nobilissimum
 scribenti, cuius Amplissimi Natales dignum
 veteri prosapia ac multis Imaginibus Lumen
 atq; ornamentum inuenere, peritiam in literis
 maximam, quae & summi consilij, & Eloquen-
 tia etiam singularis praestantiam tibi atq; firmitatem
 incredibilem contulisse, multorum ita
 sermo-

EPISTOLA

sermonibus ad nos refertur, ut Animi tui effigiem velut ex speculo, inde collectam, non semel iam contemplatus, facile iudicarem, tantæ Eruditioni & experientiæ haud quaquam obscurum esse posse, quid in hoc docendi genere, Platonis, Xenophontis, Ciceronis, & aliorum dissertationes Philosophicæ pro recepto habuissent. In Ecclesia autem, ubi singuli Doctrinæ loci, singula diuina mysteria sunt, tantò accuratior requiritur ^{et vigilans}, quantò hebetior nunc in deprauata hac Natura Mentium Humanarum acies est, ad intuendam cælestis sapientiæ lucem, quæ longè extra & supra nostræ Rationis caput posita, spiritualiter eruditos non inuenit, sed efficit. Quod enim à Philopono duplex scientia constituitur, quarum ille alteram ab Ingenij acumine atq; solertia proficisci, alteram verò disciplina comparari ait, eam certè partitionem, non perinde, atq; aliæ quædam Artes, Theologiæ purioris sublimitas admittit, ubi, quia Nemo sibi dux esse potest ipse, confusiones Imaginationum, Essentiæ ac voluntatis suæ reuelatione liberalissima Deus anteuertit, & omnibus

DEDICATORIA.

in omnibus Temporibus sua voce homines allocutus est, & instituto Evangelij Ministerio, ad certam traditi verbi normam, præconium de se fieri iussit, ut ignorantia nostra tenebris, quæ Cymmerijs tristiores sunt, fluctibusq; dubitationum, quibus sursum versum rapti, in dubio semper nauigamus, superni fulgoris serenitate discussis atq; disiectis, tantum de sui agnitione & cultu nobis constaret, quantum ipse fidei capacis in eorum cordibus accendit, quos patefacti Nominis sui studiosos habet, suntq; illorum, inter reliqua pietatis Exercitia, quibus intelligentia & Iudicium mirificè alitur ac confirmatur, partes etiam & notæ haud postrema, si vel ipsi sua sponte, veras sententias ex doctioribus perquirant, vel ad aliorum, de Religione, interrogata, sine recusatione, prudenter respondeant, quorum illud animi est, sancta alacritate ad discendum rectè, proficiendumq; maturè, diuinitus accensi, hoc verò & docilitatis indicia valde illustria præbet, & Rempub. Christianam, magni alicuius præsidij expectatione, multò iam antè recreat, quam Tyrocinia

EPISTOLA

istiusmodi, quò tendunt, felicitandem cursu
 prouehuntur: Neq; præceptionum hæc sacra-
 rum Auctoritate, aut demonstrationum etiam
 Exemplis roborare difficile fuerit, cum Filium
 DEI, ipsos Apostolos, orbis Magistros, ad Ex-
 animis sui censuram alicubi reuocatos, ea sci-
 tari uoluisse, legamus, in quibus Ecclesie totius
 catholica salus ac firmamentum consistat.

In istas itaq; rationes ut intuerer propius, &
 imitationis inde alicuius documentum cape-
 rem, multa sunt, quæ & puerum me olim per-
 mouerunt, & nunc quoq; stimulos, ingraves-
 cente mihi etate, officij huius, quod sustineo,
 προσκείμενα addunt, quibus ad pensum meum la-
 boresq; exantlandos dum quotidie me urgeo
 ipse, non pauca hactenus rerum Theologicarum
 ἐρωτήματα, Ministis uerbi, meæ inspectioni sub-
 iectis, enucleanda proposui, estq; eius Argu-
 menti unus hic ex cæteris libellus, quem ita
 nunc edidi, ut, non omnibus expeditis copijs,
 quibus ad conflictum aliquem ipsi opus esset, eo-
 rum mihi potissimam habuerim utilitatem,
 quos prima saltem harum atq; similium dispu-
 tationum

DEDICATORIA.

tationum Rudimenta, ad sui & aliorum informationem, tenere satis est, & quidem exordio ab ea Doctrina parte facta, cuius perceptionem D. Basilius non dubitet appellare χειραγωγίαν πρὸς τὴν ἐννοίαν τῶ θεῶ, Et nota est Clementis Alexandrini sententia: εἰ βέλαι γινῶναι θεῶν, προλαβῶν γινῶναι σεαυτῶν.

Addidi autem, ad Explicationem precipuorum capitum consentientia Testimonia Prophetici & Apostolici chori, & quicquid ab illis Theologia Patribus iudicatum est semel, longa id deinceps serie, magnoq; consensu, à posterioribus Ecclesie Doctores orthodoxis, repetitum fuisse, quanta debui breuitate, ostendere sum conatus, & aliquoties digitum saltem eò intendi, unde Notationes hasce qualescunq; nobis affluxisse, diligens lector nullo negotio animaduertet, modo cum Epiphonio meminerrit, ad evolutionem scripturae, post θεωρίαν καὶ αἰδοσίαν, haud infrugiferam etiam esse παράδοσιν, non alienam illam quidem à Regula Fidei, quales pleraq; Pontificiorum sunt Traditiones, sed interpretem potius Diuini sermonis, ὡς ἔχει, ne no-
strotan-

EPISTOLA

strotantum iudicio sapere videamur, sicut vetustas scriptum reliquit de Nestorio, quod expedita lingua & volubilitate elatus, Antiquiorum monumentis nihil operæ impenderit, se omnibus illis præstantiorem esse ducens Niceph. lib. 14. Cap. 32.

Cæterum ociosas atq; monstrosas disceptationes, quarum hoc tempore seges multa est, volens omisi, quòd destruendi magis quam instruendi studio moueantur, quemadmodum Ambrosius inquit, lib. 1. de Fide cap. 3, Et sint contentiones de argutijs subtilitatum, non autem de Examine veritatis, referente eodem, lib. de Incar. cap. 9. Si quis tamen pro superuacaneis questionibus alias etiam, ex obiectionum quarundam aspectu, reputare volet, illi ego respondeo, non pauca eius generis importunitate contradicentium sæpe nobis extorqueri, eamq; ob causam Theodoretus ait, se Apollinaristarum delirantium somnijs cogi ἔρωτᾶν ἃ μὴ δέει, Et ab aduersario mota controuersia, non discendi solum modò existit occasio, ut Augustinus inquit sed σφόδρα etiam καταπολεμῶνται οἱ πολέμιοι, ὅταν τοῖς αὐτῶν ὅπλοις χρώμεθα

DEDICATORIA.

ἡρώμεθα κατ' αὐτῶν, commemorante Socrate Constantinopolitano lib. 3. Cap. 14.

Cum igitur, sanæ Doctrinæ monstratis iam fundamentis Errata quoq; reprehendenda essent, ab omni acerbitate ut mihi temperarem, operam dedi. Nam quia verum nos sapimus, veritas alijs contradicit, non nos. Sed enim, si non erubescunt acquiescere veritati, & veritas cum ipsis sapit, & nos. Sin autem, seruum tamen DEI non oportet litigare, ut præclare dixit Bernhardus, Epistola 77.

Has ego nunc pagellas ad te mitto, Nobilissime Casi, tenuiores fortassis, quam quæ cum tui Nominis mentione, publico multorum vsui sese insinuent, ad eam quæ foris apparet, exilitatem, si quis oculos tantum conuertat, sed haud indignas tamen, opinor, conspectu tuo, atq; adeo complexu etiam, propter rerum longè grauiissimarū explanationem: Et ut optimi Nummi non magnitudine, sed pondere æstimantur, ita prudentia tua bonitatem huius libelli ex materia, quam tractat, metietur potius, confido, quam ex alijs minus splendidis adornationibus:

) (

bus:

EPISTOLA

bus, Neq₃ id tibi mirum insolensq₃ accidere patieris, quòd te virum in politica gubernationis gradu perquam eminenti versantem, Theologicis hisce commentationibus, quæ putidiusculæ quibusdam, sed non tui similibus, videntur, adoriri ausus fui, cum etiam Princeps meus Illustrissimus, in quem omnes Regiæ virtutes ornamenta sua certatim congesserunt, magnam Heroicæ benignitatis suæ propensionem erga studia Ecclesiæ necessaria, eo ipso tempore, quo Pastoribus ad Examen publicè conuocatis hæc Themata essent proponenda, liquidò testatam fecerit, designato ex consiliarijs Aulicis præcipuo, quem & honoris gratia nobis adesse, & quæ dexteritate quid pro se quisq₃ ad progymnasmata ista in medium referret, auscultando cognoscere vellet, quo factò quid aliud spectasse ipsum putabimus? quam necessitatem eam, quæ omnibus ^{ὑπεροχῆ} constitutis imposita est Diuinitus, ut, quibuscunq₃, possunt officijs adiuent propagationem Doctrinæ cœlestis, & socij etiam sint atq₃ Nutricij eius Agminis, cuius Dux & caput, est Filius DEI qui professionem sui

Nomi-

DEDICATORIA.

Nominis in familijs quoq; primarijs florere
vult. Caue enim putes, ad infima duntaxat
fecis Homines, pietatis curam pertinere, cum
quidem sine ea momentanea huius vitæ opibus
affluere quis possit, æternæ autem illius, & quæ
sola nominanda est vitæ, gustum ac perfruitio-
nem absq; eius Beneficio nemini obuenire, tam
in Ecclesia notum est, ut quàm optimè: Et
quanquam Demosthenes à Consiliario in Re-
pub. Viro tres solummodò conditiones requi-
rit, Fidem nimirum coniunctam cum experi-
entia atq; prudentia, tamen, ut statua sine ca-
pite nihil representat, ita nulla gerendarum
rerum industria, nulliq; conatus quantumuis
gnavi ac speciosi, bene cadunt, prospereq; exeunt,
Deo minus propicio, qui, ut oculus videat, &
auris audiat, si non præstet, inani contentione
omnium labores frangi necesse est.

Hæc cum ita sint, lucubratiunculis ego meis
tantò liberius ad te accedendum esse duxi, quan-
tò duriora nunc in postremo hoc omnium tem-
pestatum concursu, tempora sunt, ubi, bonis li-
teris quarum Nutricula & Dux est purior

) 2

Religio,

DEDICATORIA.

itaq; primam Consilij mei Rationem, qua ad-
ductus, scriptione hac compellare te volui, in
persona scilicet, quam sustines, excellentiam
quod intuitus, non aliter agendum mihi esse, pro
deliberato haberem: Et cum tam hodie, quam
alijs retrò seculis, fanaticarum opinionum ar-
chitectos non pudeat Gangræna sua carcino-
mata Illustrioribus Aulis obtrudere, ut adiun-
ctam suæ heresi faciant ^{σάραξος δεξιόπ.} Sicut de Se-
miarianis Epiphanius inquit, vituperari ego
minus debeo, si rectè tradita ijs nuncupo, ex
quorum Auctoritate, ornamentorum ac presi-
diorum cumulus aliquis, ad Ecclesiam, qua
communis patria nobis est, redire possit.

Iam & illa causa accedit, quod humanita-
tis tuæ mirabilis prædicatio est, eaq; exuscitatus
ego nequaquam vereor, meum hoc ex sacris
munus, te averseaturum, qui aliorum iam an-
teà Philosophicos libellos haud inuitus admisi-
sti. Et quia Docti Artifices de ingenijs, eo-
rumq; operis ac laboribus rectè cum primis iu-
dicant, totam hanc ego Disputationem tuam
& omnium piorum iuxta atq; Eruditorum

) (3


censura


EPISTOLA

censura candida subiectam esse volo. Nulla enim tam felix existimari scriptura potest, ut nemo ei contradicat. Verum illa est probabilis habenda, cui nemo cum Ratione contradicat, ut Clemens Alexandrinus ait. Bene vale. Gustrouio XVIII. Calend. Febr. Anno M. D. LXXXII.

Tuae Magnificentiæ deditissimus

*ANDREAS CELICHIVS
Ecclesie Gustrouiensis & adiunctarum Superintendens.*





PROPTER QVAS
CAVSAS NECESSARIA
EST IN ECCLESIA DILIGENS

Et crebra repetitio Doctrinae, de
peccato Originali?

RAuisima, Et multis vehementium
affectuum aculeis plena est querela
Moysis, deplorantis toto pectore, Et
veris lachrymis, profundam illam Epicuræ se-
curitatis noctem, in genere Humano, qua fit, ut
nec peccati nostri magnitudinem propius aspice-
re, nec ad diuinæ etiam indignationis iudicium
serio expanescere, nisi ab ipso DEO docti Et
ducti, possimus, sicut scriptum est, Psal. 90. Quis
nouit potentiam iræ tuæ, Et quis metuit furorem
tuum?

Etsi enim misera hæc, Et multipliciter de-
prauata natura, tot quotidie signa Reatus cir-
cumfert, Et ad omnes omnium periculorum
casus exposita, non corporum solummodo imbe-
cillitatem, formæ fragilitatem, valetudinis in-
stabilitatem, opum ac honorum vanitatem, Et

A ipsius

DE PECCATO

ipsius vitæ huius breuitatem ac fugacitatem, perpetua atq; luctuosa rerum vicissitudine, ante oculos semper habet, inq; semetipsa experiundo deprehendit, verum aliis etiam longè maioribus, planeq; innumeris aduersitatibus obnoxia est, Et præter internæ confusionis errores ac terrores, tanta quoq; foris calamitatum mole, ab omni parte urgetur atq; premitur, quantam nec Animo facile quispiam complecti, nec oratione, quantumuis elaborata atq; proluxa persequi, ipsa etiam philosophica Eloquentia, si velit, valeat, in tristissimo tamen hoc stupore, Et cæca mentium nostrarum caligine, pauci hominum in sese tentant descendere pauci: Et peccati cauteria, iraq; Dei vestigia, unde omnes omnium afflictionum torrentes ortum ac fontem ducunt, impressa nobis nunc post lapsum esse, vix persuaderi sese patiuntur, qui malorum istorum radices in fortuitis errantium tempestatum procellis, aut fatali quadam necessitate, ponendas esse censent: Quantumq; accrescunt anni, Et augentur tribulationes, ut cum Augustino loquar, tantò etiam stolidior fit hominum natura, Et in effæta hac atq; delira

delira mundi senecta, ubi nunc, imperiis aliis
 ruentibus, aliis nutantibus, multò quàm antè ra-
 biosius Diabolus seuit, & propter nouissimum
 diem, breui secuturum, violenta pariter atque
 fraudulenta impressione extremi furoris flam-
 mas spirat, omnesq; Hierarchiæ Ecclesiasticæ,
 politicæ & œconomicæ reliquias, uno halitu dissi-
 patas prorsus atq; pessundatas cupit, nimium se-
 curè à multis stertitur, cumq; in alios alii seue-
 rissimè censuram agant, pleriq; sibi ipsis Sufferi
 fiunt, & nouis semper iniquitatum accessioni-
 bus priora peccata cumulant, grassantibusq; iam
 nunc, & impendentibus etiam propè tot horribi-
 lium difficultatum paroxysmis furenter applau-
 dere videntur, tantum abest, ut turpitudinis suæ
 verecundia correpti, in gratiam cum DEO re-
 dire, & sub umbraculo Alarum IESV CHRI-
 STI veniam ac pacem querere tandem ve-
 lint.

Xerxes Rex, qui decies centum millia ho-
 minum in Græciam duxit, largiter illachry-
 masse fertur, quòd de tanto exercitu, cuius mul-
 titudinem, ab eminentiori colle, oculis perlustra-

A 2 uerat,

DE PECCATO

uerat, neminem, post annos pauculos superstitem fore, animo suo secum considerasset.

At verò Persicus ille Monarcha, neq; de Originali mortis, per peccatum, introductione, quidquam explorati habuit, neq; aeterna etiam supplicia, quibus perdita haec Massa, nisi filii DEI meritum interueniat, destinata iam olim est, praeuidere potuit, sicut nostri homines ex luce verbi omnia illa abundè cognita tenent, & ferrei tamen adeò sunt, ut ne semel quidem ad considerationem ærumnosi sui status, verè vel contremiscant, vel ingemiscant: Et grauioribus quoq; plagis à veterno securitatis diuinitus expergefacti, nihilò modestiores fiunt, nec imitantur Alexandrum Magnum, quamuis Ethnicum etiam, qui sagitta aliquando in crure ictus, cum ex sanguinis fluxu, & vulneris dolore, geminum suæ fragilitatis argumentum accepisset, hominem se, & non Jouis filium professus fuit, sed maxima pars *πανολεθζιαρ* suam non intelligens, phreneticorum instar, in media acie nouacula mortis admodum ineptè ludit, & longè suprâ communem aliorum sortem ac conditionem vel
ipsa

ipsa sese collocat, vel Gnathonum adulationibus
 infatuata, semper audire cupit placentia, &
 magnis irarum flammis aduersus eos conceptis,
 à quibus publica aut priuata obiurgatione pro-
 pter naturæ ac morum fœditatem, accusatur,
 ipsis etiam cœlitibus bellum inferre non dubitat.
 Denique nihil tam seuum, tamq̃ flagitiosum
 est, quod impii non perpetrare ausint in splendo-
 ribus vitreæ fortune, qua tandem fracta aut a-
 missa, tanto rursus consternationis motu animos
 deiiciunt, ut in extremas angustias redacti, dolc-
 rumq̃ ac pauorum uehementia superati non
 pauci, & cum Nerone ^{αὐτόχρηστος} facti, horrendum
 exclament: Neque DEVM neque Homines
 amplius habemus amicos. Alii falsa remedia,
 pro veris, quærentes, ad ^{περιρώματα} propria alicu-
 ius satisfactionis, pharisaica Hypocrisi, conuer-
 tuntur, & DEVM placari posse aut velle iu-
 dicant humanorum operum umbris ac stipulis,
 quibus tamen ipsis quoque euanescentibus post-
 modum & ingruentium tentationum incendio
 conflagrantibus, veterem illam, ex pontificia-
 rum perplexitatum spinetis, cantilenam despe-
 rabun-

DE PECCATO

rabundi repetunt: *Vae mihi nascenti, vae nato, vae morienti.*

Necessaria itaq; cum primis est tum explicatio, tum reiteratio accurata, Doctrina de peccato originis.

I. *Vt singuli hunc omnium delictorum ac poenarum fontem, originale, inquam, peccatum, hereditaria propagine ad nos transmissum, penitius introspiciant, rectius agnoscant, & vero contritionis luctu detestentur. Hæc enim optima Hominis sapientia est, imperfectum se esse, non ignorare, quemadmodum Hieronymus inquit, lib: 1. contra Pelagianos. Et nunquam emendatur, qui se peccasse non putat, referente Cyrillo, lib: 2. in Leuit. Discamus ergo in nobis odisse, quod proprium est, Amare autem, quod Dei est. Augustinus Epist. Rom.*

II. *Ut pro se quisq; commonefiat de necessario usu legis diuinæ in Ecclesia. Nam vox Decalogi nequaquam ex Diabolo est, sicut Manichæi blasphemabant: Neq; etiam superuacanea eius exasperatio censeri debet, iuxta ἀντινομικὰς φλυασίας, sed certò statuamus, conciones legales esse speculum nostræ*

nostra deformitatis, & testimonium iræ DEI
 aduersus omnem *ἀνομίαν*, quæ est in nobis, non
 actualiter saltem, Verum etiam originaliter: Et
 quia interius hoc contagium non ita protinus in
 oculos incurrit, ut externa scelera, sed cubat po-
 tius, antequam excitatur, Genes. 4. Et abscondi-
 tum est. Psalm. 90. Ideò DEVS reuelari illud
 vult ministerio legis. Roman. 3. Quæ totam natu-
 ram corruptam accusat & damnat, omnes con-
 cludendo sub peccatum. Rom. 11. Gal. 3. Conclu-
 sionis autem vocabulo scriptura utitur, ut in-
 nuat, multos omnibus temporibus Hypocritas es-
 se, quos pudeat fateri, se peccato obnoxios, & æ-
 ternæ abiectiōnis reos esse. Imò gloriari audias
 Homines, externa specie sanctulos, nescio de qua
 integritate, perfectione, & prerogatiua purita-
 tis ex carne, aliis uè Arrogantiæ Diabolicæ feci-
 bus. Verum enim uerò DEI conclusio est,
 quod sis peccator ex te, iustus autem non ex te,
 sed ex solo CHRISTO, quem proposuit Re-
 conciliatorem, &c. Hinc disertè Paulus ait,
 Romanorum 7. se non cognouisse, flammam in-
 ordinatarum Appetitionum esse peccatum,
 nisi

DE PECCATO

nisi ex lege, cuius tuba humiles facit confessores, qui superbi erant prauaricatores, Bernhard. de conuers. Nec alius est potentior malleus, ad conterenda corda nostra, quouis Adamante duriora. Ierem. 23. Et ad deiiciendam vniuersam pompam Humanæ gloriationis, de superfluis spiritualium virium opibus, & rectitudine aliqua erga DEVM, ex arbitrio ac subsidio propriae voluntatis, quæ tamen ad eò nunc, post lapsum, vaga, incerta, imperita, & infirma est, ut nihil in sua possibilitate habeat, nisi peccandi facilitatem. Augusti. lib. 3. contra Pelagianos.

III. Ut sentientes labem ac tabem infelicis huius contagii, & seueritate iræ ac iudicii DEI aduersus hoc ipsum omnis impietatis profluium, per terrefacti, vera fide confugiamus à Moysè ad Christum, à Rigore legis ad ^{ἐπιεικείαν} Euangelii, à Throno reprobationis ad Thronum gratiæ, & à sanguinis nostri immundicie, ad preciosum & immaculatum sanguinem Immanuelis nostri, qui venit in Mundum, peccatores saluos facere. 1. Timoth. 1. Natus ac passus pro nobis, in carne sua, ex nobis assumpta. Isa. 53. 1. Pet. 4. Non
necessi-

O R I G I N A L I .

S.

necessitatis sua coactione, sed summa atque ineffabilis Misericordiae proposito. Chrysof. in Matth. & Augustin. de Fide contra Manich. Cap. 28.

Verè enim Gratia exuberavit supra peccatum, Roman. 5. Quandoquidem dignè deleuit aliena peccata, qui non habuit propria. Augustin. Serm. 14. De tempore. Et in pœnis nostris esse voluit Christus, sine peccatis suis, ut sustinendo sine culpa pœnam, & culpam solueret & pœnam. Idem. Serm. 139. de Tempore.

IIII. Ut Iustificati fide gratis, & ex lacu perditionis educti, tantorum beneficiorum Memoriam perpetua cum ^{exaggerata} conseruemus, & tectos in nobis peccati Gentilicii morbos, aliasq; vulnerum super additorum, at quæ sanari iam cœperunt, cicatrices, nullo noui furoris Mucrone contumaciter refricemus, sed corda & corpora nostra sinamus esse ac manere domicilia spiritus sancti. 1. Cor. 3. Peculium enim Christi sumus. 1. Pet. 2. Populus formatus, ad narrandam laudem Domini. Isa. 43. Opus manuum Dei ad glorificationem. Isa. 60. Plantatio Domini, ad

B

ipsius

DE PECCATO

ipsius honorem. Isa. 61. Discipuli constituti, ad faciendum fructum copiosum. Iohan. 15. Proinde ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta, DEO seruiamus. 1. Timoth. 1. Carnem nostram crucifigamus. Rom. 6. Gal. 5. Mortificemus Membra nostra. Col. 3. Curramus in via mandatorum DEI. Psal. 119. Gradiamur in praeceptis Dei. Ezech. 20. Viuamus coram ipso in Iusticia & sanctitate. Luc. 1. Ambulemus in bonis operibus. Ephes. 2. Abundemus bonis operibus. Tit. 2. Quaecunq; vera, Veneranda, iusta, pura, & virtute plena sunt, cogitemus atq; sectemur quotidie. Philip. 4. Iudicium ver & fidei, non delinquendo, ostendamus. Origen. lib. 4. in Epist. Roman. Cap. 4. Agri nostri fertilitatem conspiciendam praebeamus. Nazian. ad popular. Polleamus virtutibus. Macar. Homil. 36. Et inter fontes studeamus conseruare decus innocentia. Augustin. de bono perseverant.

V. Residua in nobis manent etiam post factam & acceptam remissionem omnium peccatorum, non pauca de originali corruptione zizania, quae ipsa quidem Velamento iusticiae Chri-

ORIGINALI.

6

Christi obducta, licet credentes non damnent, faciunt tamen, ut inchoata, ex spiritu nouitatis, obedientia, propter carnales επιθυμιας, multis modis, in lubrica hac & mortali vita, à scopo perfecta sanctitatis aberret, mutila q̄, valde & manca etiamnum sit. Ideò nunquam non in auribus atq̄ animis nostris doctrina de peccato originis sonet, ut tot sordium, condonationem quotidie à Deo petere, et cupiditatibus veteris Adami reluctari magis magisq̄, studeamus, alioqui ad obuios semper vel superbia vel torporis scopulos si impegerimus, naufragium salutis faciemus, longè periculosissimum. Vereamur itaque omnia opera nostra. Iob. 9. Tegamus facies ac pedes nostros coram Domino. Isa. 6. Abiciamus coronas nostras ad pedes agni. Apocal. 4. Septies singulis diebus cadentes, septies etiam resurgamus. Proverb. 24. Ierem. 8. Imitemur εξομολόγησιμ prophetarum & Apostolorum, toto pectore nos humiliantes, ac dicentes. Innocens, non est apud te innocens. Exod. 34. Si iniquitates obseruaueris Domine, quis sustinebit: Psal. 130. Facti sumus, velut immundum, omnes nos, & quasi pannus

B 2

Men-

DE PECCATO

Menstruata, uniuersa iusticia nostra. Isa. 64.
Serui inutiles sumus. Luca. 17. Opera nostra iudicio DEI opposita sunt οὐβαρα. Phil. 3. Nullius rei mihi conscius sum, sed ex hoc non iustificatus sum. 1. Cor. 4.

Quis namq³ sine Diuina miseratione potest subsistere, aut quid possumus dignum facere premiis caelestibus? Ambros. Psal. 118. Et merita nostra si reputabimus, non modo munere nullo, sed supplicio quoq³ digni erimus. Chrysof. Homil. 25. in Iohan.

VI. Necesaria & utilis est crebra inculcatio Doctrinae huius, ut DEVM paterna nos voluntate castigantem, filiali etiam patientia non grauatim feramus, nec morosè nos ei opponamus, quòd ad mortificandas in nobis peccati originalis Reliquias, multis vexationibus atque arumnis premi nostram carnem necesse sit. Isa. 28. Ne simus, uelut iuuenculus indomitus. Ierem. 31. ne uè incrassati recalcitremus. Deuter. 32. Et quanquam notoria externorum scelerum deformitate non ita sese semper polluant, uerè Renati, sicut manifestè impii, quorum turpitudine,

pitudo, ruptis omnibus verecundiae frenis, passim sese prodit, tamen in suis quoque Filiis semper aliquid DEVS inuenit, quod emendet. Et cui propicius ille est, ei non solum donat peccata, ne noceant ad futurum saeculum, sed castigat etiam, ne semper peccare delectet, quemadmodum praeclarissime inquit Augustinus, in enarratione, Psal. 98. Exclamemus itaque cum Dauid Rege, & Imperatore Mauricio: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum, Psalm. 119. Cum Michea: cap. 7. Inram Domini portabo, quia peccavi nimis. Cum Iobo: cap. 13. Etiam si occiderit me, tamen sperabo in eum. Cum Augustino: Hic ure, hic seca Domine, ut in aeternum parcas.

VII. Ipsi etiam pii interdum, ad futuram illam & omnibus numeris perfectissimam integritatem ac felicitatem, quae in altera Beata & aeterna vita nos manet, non aequè ardentibus votis aspirant, quoties vel Mundanis illecebris capti, vel alia Natura imbecillitate praecipati, terrenarum rerum amore nimio teneri incipiunt. Nec Petrus, nisi inuitus, ad Mortem duci-

B 3 tur.

DE PECCATO

tur. Johan. 21. Et de quodam sui temporis presbytero Cyprianus refert, neque pati eum dura in Mundo voluisse, neque Mundum etiam relinquere. Ita scilicet Homines sumus, et presentia, quantumvis Amara atque difficilia, cœlestibus sæpè bonis, ad quorum expectationem, quotidie inuitamur à DEO, stupidi anteferimus, non aliter, ac pisces Marini falso illo suo et inquieto domicilio suaviter delectantur. Proinde hac quoque de causa, peccati in nobis gravitas ac fœditas, publico Ministerii Ecclesiastici iudicio rectè exaggerari debet, ut peregrinationis huius, ubi, sicut Nazianzeni sententia habet, multa mala partim videmus, partim sustinemus, partim perpetramus, tandem pertasi tabernacula corporum nostrorum, DEO nos euocante, tantò alacrius deponere gestiamus, quantò Maioribus peccati periculis subtrahimur, et in non peccandi securitatem constituimur, Cyprian. Serm. de Mortalit. Et si plena est onerum vita, utique finis eius allevamentum erit. Ambros. De bono Mortis, Cap. 2. Clamemus ergo: Educ ex carcere animam meam. Psa. 142. Nunc dimit-

dimittis seruum tuum Domine, Luca 2. Miser ego Homo, quis me eripiet, ex corpore isto peccati: Rom. 7. Dissolui cupio, & esse cum Christo, Phil. 1.

VIII. Jam & necesse est, ingens hoc & primum peccatum nos intelligere, ne conseruos nostros, ex eadem impuritatis Abyssso, vel nobiscum, vel aduersum nos peccantes, pharisaico supercilio fastidiamus aut execremur, sed imbecillitatis potius nostrae memores, molli brachio traitemus alios imbecilles, & eorum emendationi sedulo studeamus. Et notum est Nazianzeni dictum: Si scis aliis te debere mortalibus, aliosque vis nauos tuos tibi remittere, in alios & tu utare mansuetudine. Zelus enim, veniam aliis negans, (ut Chrysoftomus ait, Homil. de Nom: Abrah.) furor potius est, quam zelus: Quique fratrum vulnera, sine compassione, spectat, & ipse, si peccauerit, Neminem inueniet misericordem.

IX. Etiam hac pars doctrinae Christianae à fanaticis Hominibus multipliciter sursum versus raptata, & variè exagitata, nefarieque omnibus temporibus deprauata est. Quocirca non potest

non

DE PECCATO

non operæ præcium esse, si vera, de peccato originali, sententia, ex libris Prophetis & Apostolicis, adde etiam ex orthodoxa Antiquitate, omnibus Ecclesiæ Christi civibus, tum crebro tum evidenter ponatur ob oculos.

Et de his quidem capitibus, quæ nunc breviter saltem, & velut in transcurso, attigimus, suo loco infra plenius differemus.

QVID NOMINAS PECCATUM Originale?

Appellatione illa notatur atq; exprimitur summum, in homine qualis nunc est, Malum, iam inde usq; ab Adamo prævaricatore, in omnes omnium temporum, locorum & populorum Homines, ex virili semine, Naturaliter propagatos, hereditaria culpa & pœna derivatum, tristissimam Imaginis diuinæ carentiam, & totius contra Naturæ depravationem extremam, Reatumq; horribilem in nobis designans, & à DEO nos auellens, Fræq; eius incendium, multiplici calamitatum strage, & Mortis etiam, atq; æternæ condemnationis iudicio, à pri-

mo

ORIGINALI.

9

mo statim viciosa conceptionis momento, aduersum nos excitans: Nullo alio modo expiabile, nisi sola vnus Christi satisfactione, fide apprehensa.

EX QVIBVS FVNDAMENTIS
definitio hæc exstructa est?

Sunt ex hostibus Crucis Christi, quos vociferari audias, peccatum Originis esse figmentum Augustini, à qua tamen Blasphemia saniores etiam Scholastica Theologia Doctores sibi temperarunt, victi perspicuitate testimoniorum, quæ scriptura magno numero suppeditat. Ideo Gerson dicit, vicium originale esse impotentiam ad Bonum, & potentiam ad malum. Hugo inquit, Morbum illum complecti Ignorantiam Boni, concupiscentiam mali, & supplicium de utroq;. Hæ locutiones etsi κατὰ τὴν solummodò ad veram sententiam alludunt, tamen à crassis Iesuitarum opinionibus alieniores sunt, & fundamentum non prorsus euertunt.

Adam enim post lapsum, non externam tantum corporis nuditatem, in se deprehendit,

C verum

DE PECCATO

verum omnibus etiam bonis ac donis, quibus in
creatione ornatus fuerat, simul & semel destitu-
tum ubi se, conscientia terribiliter inclamante,
vidit, hostili plane animo fugere DEVM, &
multis frustra tegendi peccati rationibus con-
quisitis, pertinaciter aduersus ipsum fremere
cepit, variisque laborum ac dolorum plagis one-
ratus, & tanquam ^{κατάραμα} ex paradiso eiectus,
vitam cum morte commutauit, Genes. 3.
& 5.

Per unum igitur illum Hominem, qui per-
sonam nostram gessit, & apud quem deposuerat
Dominus uniuersas, quas Humana natura col-
latas voluit, dotes, in nos quoque contagio serpit.
Roman. 5. Et quicquid ingratus hic vasallus
amisit & admisit, idem & nobis amissum atque
admissum est. Nam Adæ irrogatum (postea)
fuit, ut generaret ad molestiam. Iob. 5. Sumus
autem nos filii Adæ. Syr. 40. Qualis ergo ille, ta-
les etiam nos. 1. Corinth. 15. Quia prouentus Im-
pii, peccatum est, Prouerb. 10. Impuriq; seminis
Massa, impuros quoque dat Homines. Psal. 51.
Iob. 14. Et secundum carnis propagationem,
omnes

omnes in Adamo eramus, antequam nascere-
mur, velut in parente, ac Radice. Augustin.
Serm. 14. de verbis Apost. Hinc Originale in no-
bis est, quod Actuale in ipso fuit. Gerson, tract. 5.
super Magnificat. Neque integra ille Natura
cognovit Euam, sed peccator iam & Morti ob-
noxius, cæpitque inde genus nostrum deduci.
Hesych. lib. 3. in Leuit. Et ipse partus nunc sua
contagia habet. Ambros. in Apolog. David.
Quemadmodum enim Leprosus pater ex Lepro-
sa Matre, leprosos filios & filias gignit, Ita nos
omnes in & cum peccatis nascimur, ex parenti-
bus peccato corruptis. Lutherus in die concept.
Mariæ.

PROBATVM VERO FAC,
Scripturam ita Nominatim atq; disertè etiam,
de certis peccati Originalis partibus,
concionari, ut tua delinea-
tio habet?

Magister veritatis, Spiritus Sanctus, con-
iunctim interdum sed ordine tamen, omnia ea,
quæ diximus, capita, recenset. Alibi rursus, de

DE PECCATO

singulis, peculiare ferè commune actiones instituit. Prioris Notæ exemplum est, *διήγημα* illud, de Homine, quem in latrones incidisse, Christus ait: *Luc. 10.* Cum miseria nostræ conditionem omnibus viua picturæ coloribus exprimere vellet.

Primum enim Hierosolymis egressus viator ille deuius, in periculo, quod amabat, periit. *ὅτι γὰρ ἔμεινεν ἐπὶ τῆς ἀξίας ἑαυτοῦ.* Chrysof. 1. Corinth. Et non loci sed morum mutatione, ad Angelos Noctis & tenebrarum, per Adami prolapsionem, defleximus. Ambros. lib. 7. in Luc.

II. *Ἀποσπορία* eodem statim momento consecuta est exspoliatio. Nullos enim sapientia, iusticia, & Sanctitatis diuina thesauros amplius possidemus. Ephes. 4. Coloss. 3. Homo pudicitia ornatus, charitate circumdatus, & immortalitate vestitus, nihil horum retinuit. August: Cap. 2. Contra Iudeos, pagan. &c. Macarius Ægyptius Homil. 1. & alibi, Nudationem illam sic interpretatur: Quemadmodum indumentum quod gestas, alius confecit, & tu eo indueris, similiter & domum alius extruxit, & tu in ea habitas: Ad eundem modum & Adam, postquam
quam

quam transgressus est legem Dei, & malignum. audiuit serpentem, distraxit & vendidit se ipsum Diabolo, qui creaturam Bonam, quam condiderat DEVS ad Imaginem suam, induit, & sedem in ea fixit: Sicut & Apostolus dicit, Colos. 2. Cum exspoliasset principatus & potestates triumphavit de ipsis in cruce, etc.

III. Ad Amissionem tot diuitiarum addita est vulneratio, & in sanguine nostro conculcati sumus. Ezech. 16. Nec egena tantum Natura nostra est, Sed viciata quoque. Augustin. Ser. 8. de verb. Apost. Obtenebrata est. Idem, ad Articul. falso impos. Contraxit maliciam. Idem, de Grat. & lib. Arb. Cap. 21. Sauciata, vexata, perdita est. Idem lib. de Natura & Gratia. Cap. 53.

IIII. Et sacerdos, & Levita praetereunt. Nam omnis iniquitas execrabilis. Eccles. 10. Ideo lex maledicit nobis. Deut. 27. 28. Ierem. 11. Galath. 3. Sumus filii Ira. Ephes. 2. Dies peregrinationis nostrae pauci & mali. Gen. 47. Mors nobis dominatur. Genes. 3. Iob. 7. 14. Psal. 90. 102. 103. Roman. 6. Iacob. 4. Ebr. 9. Et infernus ad-

DE PECCATO

uer sum nos aperuit os suum. Iob. 21. Psalm: 49.
Isa: 14. 66. Luc. 16. Apocal. 20.

Ita scilicet ex primæ sublimitatis fastigio ad
imas detrusi voragine, amisimus indumenta
gratiæ & gloriæ, accepimus autem vulnera igno-
miniæ & confusionis. Orbati stola iusticiæ, fædi-
tatem iniusticiæ in Anima & corpore circumfe-
rimus. Lumine nostro priuati, tenebris cooperi-
mur. Exuta immortalitate, perpetuis cruciatuum
vibicibus liuidi sumus. Beneficio vigoris ac vitæ
spiritualis proiecto, maleficium infirmitatis ac
perditionis in nobis portamus, nunquam, nisi
diuinitus curemur, sani, nunquam, nisi gratui-
tò saluemur, Beati, quemadmodum Origenes,
Basilius, Chrysostomus, Macarius, & alii con-
cionem illam Christi exponunt.

Ne verò parabolicis semper inhæreamus
Narrationibus, ad apertiores etiam porrò de-
monstrationes sermonis nostri serie conuersa,
planum facere conabimur, Neminem ex tota
Adami posteritate esse, qui iuxta communem &
usitatum Naturæ ordinem in hunc mundum
proge-

progenitus, non adferat secum tria peccati Originalis carcinomata.

Primum est, defectus ille, quem Apostolus nominat, ubi inquit: Roman. 3. Omnes carent, gloria DEI, id est, integra conformitate cum lege, quam DEVS requirit & approbat. Hæc enim erat gloria veræ Agnitionis DEI, & omnium creaturarum. Gloria veræ spontaneæ, & Ardentissimæ dilectionis DEI & proximi. Gloria deniq; & pulcherrimum decus obedientiæ, erga creatorem, promptissimæ iuxta atque Sanctissimæ, copulatis inter se suaviter, & ad lucis diuinæ radios congruenter omnino ac firmiter sese accommodantibus, uniuersis Anima & corporis viribus, tum internis, tum externis, sicut norma eius Rectitudinis ostenditur. Deut: 6. Matth: 22. Luc: 10.

Illis igitur ornamentis nunc amissis vacua est anima nostra. Isa: 29. Pauperes, Nudi, & egeni sumus. Apocal: 3. Nihil scimus, intelligimus, cogitamus, volumus, desideramus, possumus, in iis, quæ DEI sunt, & nostram salutem concernunt. Deut: 32. 1. Corinth: 2. 2. Corinth: 3.

Querit

DE PECCATO

Querit Deus in nobis Bonum, sed non inuenit.

Psal: 14. Non inuenit fidem & charitatem.

Ier. 5. Non inuenit Nominis sui inuocationem.

Ezech. 22. etc. Et de tali penuria loquuntur

etiam patres. Theodoretus inquit: τῆς θείας εἰκότος

ἀπώλεσε χαρακτήρας. Ambrosius lib: 1. de uocat. gent:

Cap: 3. dicit, Hominem uoluntatis sanitate pri-

uatum esse. Et, lib: de Isaac & Anima ait: Quid

est Malicia, nisi Boni indigentia? Augustinus

uocat Amissionem possibilitatis & innocentia.

De Eccles: Dogmat: Cap: 32. Et perditionem

Beatitudinis. Quæstion: Vet: & Noui Testam:

Macarius, carentiam Spiritus. Homil: 20. Et

ereptionem gloria. Homil: 47. Gerson, Dimi-

nutionem Bonorum Naturalium. in compend:

Theologia.

Deinde generationis etiam nostræ comi-
tem indiuiduum habemus, & priuationis ma-
le successorem pessimum, profundissimam To-
tius Naturæ corruptionem, & ab infernalium
Aspidum Morsu, tantam tam Magni ueneri-
vim nobis infusam, ut præstantissimarum inde
potentiarum uirtus atq; facultas multis modis
labefa-

labefactata, & deiecta prorsus atque oppressa sit, omnis peruersitatis & confusionis pelago in nobis exundante. Omnes enim Corrupti sunt & inutiles facti: Psal: 14. Omnis Homo Mendax. Psal. 116. Id est, Non recte sentiens de DEO, à DEO auersus, Non metuens Deum, nec abiiciens propositum peccati, & semper ac ubiq; sine modo, & sine, Deo repugnans.

Nam in Mente & intellectu multiplex dubitatio, caligo & cecitas hæret, Ideò nominatur mens incircumcisa. Leuit. 26. Mens carnis. Col: 2. Mens excæcata. 1. Corinth: 4. Mens vana & obscurata. Ephes: 4. Mens polluta. Tit: 1. Et nos tenebræ sumus, ante Regenerationem. Eph: 5. Sedemus & Ambulamus in tenebris. Jsa: 9. 60. Luc: 1. Amamus tenebras. Iohan: 1. Sumus oues stolidæ & errantes. Isa: 53. Rudiores bobus & Asinis. Isa: 1. Insipientiores formicis, Prouerb. 6. Turturibus, Gruibus, Hirundinibus, & cæteris volucris. Ierem: 8. Matth. 6. Ad contemplanda, indaganda, & perspicienda Mystera diuina, stulti. Psal: 14. Luc: 24. Galath. 3. Non possumus nos in cælestes cogitationes efferre. Hilar;

D lib.

DE PECCATO

lib. 5. de Trinit: Ratio nostra, quanto plus graditur, tanto longinquius errat, sicut prosper inquit. Et: πάντα τὰ θεῶν ὑπὲρ φύσιν εἰσι. Damascen. lib. 4.

In voluntate autem & corde tanta Aversionis ac contumacia sentina est, tantus securitatis stupor, tot pravarum inclinationum turbulenti gurgites, & tam vehemens Malorum Ardorum aestus, ut cum feruoribus exasperati Maris inquietam illam Hydram Spiritus Sanctus conferre non dubitet. Isa: 48. 57. Nunquam enim ociosum est cor, semper verò cum toto suo opificio, quod Moysi GEZER, & Paulo φρόνημα est, aduersus Deum sacrilego impetu fertur. Genes: 8. Ad impietatem proclive, nulla legum vincula pati vult. Jerem: 5. 17. obsurdatum est. Ephes. 4. Officina est ac fons omnium scelerum. Matth. 15. Legi Dei nec vult nec potest subiici. Roman: 8. Nolumus obedire voci Diuinae. Ier: 44. Nolumus Deum regnare super nos. Luc: 19. Sumus serui peccati. Iohan: 8. Venundati sub peccatum. Roman. 7. Equus & Mulus, impatientes chami & freni. Psalm: 32. Seu Bestiale quiddam, ut Chrysostomus loquitur, Homil: 19.

in Gen: Filii Belial. 2. Sam: 23. Filii contumaces. Ephes: 2. Latamur & delectamur peccato. Prouerb: 2. Dolemus, peccatum non ita succedere, uti propositi nostri sententia stat. Ierem: 9. A planta pedis, usque ad verticem, non est in nobis Sanitas. Isa: 1. Et quemadmodum Navis, fracto gubernaculo, illuc ducitur, quocumque tempestas voluerit, sic à Diabolo nunc de peccato in peccatum Homines rapiuntur, Chrysof: Serm: 1. de Aduentu: Neque falsa defensione, sed vera confessione opus habet misera hæc Natura. Augustin: de Nat: & Grat: Cap: 53.

Denique patrimonii nostri, quod nascentes nobiscum adferimus, Magna pars est, Seueritas Indignationis diuine, cuius iam Reos nos facit, viciosa ex Adamo Natiuitas, pœnisq; temporalibus & æternis implicitos, Morti nos tradit, quæ iuuenibus in insidiis, senibus autem in ianuis est, ut Seneca verbis utar. Nam propter peccatum, Lis est Domino aduersum nos. Ose: 12. Eiusq; ira, cuius Filii, Natura sumus, fit Nobis ignis consumens. Deuteron: 4. Tinea rodens. Psal: 39. Et furor destruens nos. Psal: 90. Ideò

DE PECCATO

Paulus inquit, peccati stipendium esse Mortem. Roman. 6. Eiq³ nos facti sumus Debitores. Ireneus lib: 5. Et Augustinus, Tertiam hanc Misericordiam vocat Ligationem, per vinculum Mortis. In Enarrat. Psal: 50. Neque hinc abludit, quod Eruditiores, Græcam dictionem (ἀμαστία) deducunt, ab Hebræo MARAD, quo notant perfidam irritationem superiorum, cum primis verò DEI. Quem derelinquere, est Malum atque amarum Jerem. 2. Germanicum autem vocabulum Sünde à diuidendo, originem trahere volunt, seu vom absunderen/ ut in nostra lingua sonat. Quia DEVS verè irritatur peccato, eiq³ irascitur. Psal: 5. Et spurcitia nostra salutem à nobis aufert. Psalm: 119. Diuellit nos à DEO. Isa: 59. Prohibet Bonum à nobis. Jerem: 5. Ne videamus gloriam DEI. Isa: 26. Ne introeamus in Requiem DEI. Psal: 95. Ne aditus nobis pateat, ad cœlestem illam Hierosolymam. Apocalip. 21. Nisi per ruptorem habeamus Christum. Mich. 2. Quem fide aspiciendum vox Euangelii nobis exhibet. Zach: 12.

Vult enim omninò DEVS Magnitudinem

ORIGINALI.

15

nem latentis etiam huius peccati, & signa Fra at-
que iusticia sua aduersus multiplices nostros na-
uos in conspectu nobis esse, eaq; de causa variis
suppliciorum oneribus imbecillem hanc atque
pollutam Naturam exercendo fatigat: Et vagan-
tur omnibus temporibus in genere Humano, tum
publicè, tum priuatim, multa horrenda Mala,
Multi Tragici casus, & priorum afflictionum ex-
itus, semper est initiu ac fons Nouarum difficul-
tatum, vitæq; huius usuram, quæ non diuturna,
sed diurna vix est, Æterna deinceps gehennæ
cruciatus excipiunt in iis, qui nulla nunc pœni-
tudine scelerum ducti, ex tela originalis peccati,
alias infinitas texunt, sicut scriptum est: Psal:
49. Mors depascet eos in inferno, ubi habitatio
illorum est. Et hæc est Mors secunda. Apoca-
lip: 20.

ERGO PECCATVM HOC,
non ideò dicitur originale, quòd ex prima statim
creationis Origine, in Adamo fuisse, & ad
nos inde transmissum esse, pu-
tandum sit?

D 3

Ori-

DE PECCATO

Originale contagium nominamus non
Respectu conditoris DEI, sed culpa Ho-
minis lapsi & REI. Vidit enim Deus cun-
ctaque fecerat, & erant valde bona. Genes. 1.
Absit à DEO impietas, & ab omnipotente ini-
quitas. Job. 34. Deus neminem vult esse impium,
& nemini potestatem facit ad peccandum. Syr.
15. Deus Hominem fecit inexterminabilem. In-
vidia autem Diaboli Mors intrauit in Mun-
dum. Sap. 2. Et qui peccatum facit, ex Diabolo
est. 1. Iohan. 3. Nam spiritus ille Malignus &
ἐπιχαριστικῶς primum Hominem de statu integri-
tatis, facili atq; precipiti Arrogantia via detur-
bavit, nosque in ipso tum cecidimus omnes Ge-
nes. 3. Roman. 5. 1. Corinth. 15. Et ex Psalm: 49.
dictum citari solet: Homo cum esset in Honore
non intellexit, comparatus est iumentis, quæ in-
tereunt. Relictus enim fuit à Deo in Manu con-
sili. Syrac. 15. hoc est, in propria potestate habuit
& obedientiam & contemptum. Obedientiam,
qua viueret: Contemptum, quo digne pro meritis
interiret. Vnde effectum est, Ut Deum contem-
nendo, Mortem incurreret, & vitæ privilegium
perde-

perderet, sicut Chrysostomus explicat, Homil: de dignit: Hom: Et appositè in hanc sententiam inquit Augustinus, lib: 2. Contra Pelag: Eva peccatum à Diabolo mutuo sumpsit, Adam consensu cautionem scripsit. Usur a posteritati crevit.

Hæc firmiter tenenda sunt, propter quatuor potissimum causas.

I. Ne Deum faciamus Autorem peccati. Nimum enim Impius est, & indoctus, qui vitium Naturæ non discernit ab Autore Naturæ, Ut Augustinus dicit, Articul: falso imposit. Et peccatum in nobis fit modo inducticio. Epipha. Hæres: 36. Proficiscens à Muliere, propter quam omnes Morimur. Syr: 25. Et quanquam Adam non prior peccavit. 1. Timoth: 2. tamen & ipse Muliebribus illecebris permotus, & in Inobedienciâ Barathrum precipitatus, & se perdidit, & nos.

II. Ne Stoicum aliquod comminiscentes Fatum, perditionis nostræ culpam transferamus in Astra. Si namque cælum, Homines impellit ad mala, cæli & omnium Rerum conditor vituperandus

DE PECCATO

randus erit, tanquam iniustus, & omnis iniquitatis effector. Cyril: Alexan: lib: 5. in Ioha: cap: 5. Cur igitur innocuis Syderibus peccatum, attribuis, & cur tua ipsius inquinamenta confiteri detrectas? Cyril: Hierosol: Catech: 4.

III. Ne solum Diabolum accusemus de peccati introductione. Suadere enim ille potuit, cogere verò nequaquam valuit. Et, Homo lapsus est, non Necessitate aliqua, sed voluntate propria. Augustin: de Orig: Anima. lib: 1. Cap. 4.

IIII. Ne primos quoque parentes tantum insimulemus Malicia, cum nostra etiam sit noxa. Et quia pactum transgredimur, sicut Adam. Ose: 6. Ideò ex nobis ipsis nostra perditio est. Ose: 13. Hinc Cyprianus, peccatum originis vocat domesticum Malum. Serm: de circumcis: Ambrosius Roman: 7. & Macarius Homil: 4. dicunt, esse Hospitem in Nobis. Damnata est enim generatio in Adam: Augustin: Serm: 14. de verb: Apost: Proinde nunc in sordibus concipimur, In tenebris confouemur. Bernhard: Ser: de cæna Dom:

Sed

ORIGINALI

17

SED (Ezechiel:18.) SCRIPTVM

est: Filius non portabit iniquitatem patris;

Ergò nullo nostro Merito propter

Adæ prauaricationem,

plectimur?

Nihil hæc concio Prophetica derogat peccato Originali, & immotum stat Fundamentum, quod toties iam inculcauimus, Peccatum nempe ac Mortem, per unum Hominem, transiisse in omnes. Et Adam nostræ peruersitatis efficiens est Causa, non autem Instrumentalis duntaxat, aut exemplaris, quod ab hoc immundo factore, omne genus Humanum factum fuit immundum, docente Hesychio lib. 3. in leuit. Et peccator Adamus vere est Saturnus ille, qui deuorauit omnes Filios suos, sicut orthodoxa hæc perspicuitas fabuloso stultæ gentilitatis commentotandem obscurata est.

Huius autem dicti, quod obiicitur, intelligentia ex causis dicendi sumatur, iuxta Regulam ab Hilario traditam, lib: 4. de Trinit: Iudeorum enim peruicacia Deum arguebat iniusti-

E

cia,

DE PECCATO

cia, quòd ipsos, ob Maiorum suorum delicta, no-
uo semper calamitatum diluuiò obrueret, &
proverbii loco, querela hæc inter illos iactabatur:
Patres comederunt uam acerbam, & Filio-
rum Dentes inde obstupère. Ierem. 31. Ezech: 18.
Talibus Hypocritis, damnantibus Deum, propter
nimiam duriciem, & innocentia propria decus
in Iudicio ipsius, allegantibus, primùm responde-
tur legaliter: Filius non portabit iniquitatem
patris: Id est: Etsi de summo illo iure, ad cuius
normam, in posteros etiam Impiorum, grauissi-
ma animaduersione uti Deus potest, aliquid in-
terdum remittitur, tamen in unoquoque ve-
strum nunquam, non videt ille magnam peccati
colluuiem, quam iustè puniat. Nectàm propter
Aliena peccata corripimur, quàm propria nos
affligunt. Leuit: 26. Tollat igitur Homo pecca-
tum, quod suum est, & relinquat Deo iusti-
ciam, commemorante Augustino, Hom: 49. in
Ioh. Vincit enim, cum iudicatur. Psal: 51.

Deinde ad Euangelicarum quoque promif-
sionum trutinam Ezechielis sententia expendat-
ur, & palàm fiet, Deum, filiis reproborum, pœ-
niten-

nitentiam agentibus, non tantum remittere propria delicta, sed pœnas quoque temporales, à parentibus ipsorum coaceruatas, vel tollere aliquando prorsus, vel mitigare saltem, abolitis iam antè, unà cum iniquitatum Mole, cruciatibus æternis. Neque enim iustum perdit cum iniusto, Genes. 18. Imò, semen potius Sanctum sibi seruat, ne fiamus, sicut Sodoma. Isa: 1. Nouit suos eripere ex tentationibus. 2. Pet. 2. Non aliter, ac si quis ex Magno incendio titionem extrahat, Zach: 3. Aut sicut pastor eruit ex faucibus leonis duo crura ouis, aut extremam Auriculam, Amos. 3.

Postremò semper nobis ob oculos versetur discrimen huius & futuræ vitæ: Et quanquam non raro in Liberos Impiorum pios, paterni aliquid Reatus, arcano dei consilio, hic redundat: (Nam & Ionathan, ἐχθρὸς πατρὸς φίλτατον τέκνον, in ultimo prelio parentis Apostatæ interfectus fuit) Tamen in illa die non propterea abiicientur à Deo, sed unusquisque suum onus portabit. Gal. 6. Et opera Hominum Deo placentium, ipsos sequuntur, Apoc. 14.

DE PECCATO

SI LABES ORIGINALIS,
Orthodoxa veritate, proprium, unicuique pec-
catum esse censetur? Qui fit ergò, quod Aliena
peccata David allegat, ubi inquit, (Psal: 19.)
Ab alienis parce seruo tuo?

Ad hoc cavillum, quod ex officina Iesuita-
rum nuper admodum prodiit, facilis est Respon-
sio, consideranti Natiuam vim ac sententiam,
verborum Psalmi. Nominat quidem alicubi
scriptura ἀμαρτίας ἀλλοτριίας (1. Timoth. 5.) quarum
communicationem, ex κολακευτικῆ cum aliis collu-
sione, temerariam, non autem, ex Naturali pro-
pagatione aliqua hereditariam esse diffinit, sed
eius, quem ipsi huc detorquent, loci, planè diuersa
Ratio sese offert, quòd manifestissimum sit, vete-
rem, quisquis ille fuit, interpretem oscitanter le-
gisse ZARIM pro ZEDIM, cuius dictio-
nis significatio accommodata est, ad exprimen-
dos herentium atque errantium, in deprauata
hac Natura, etiam post Regenerationem, mul-
tarum infirmitatum astus, qui certè, nisi quoti-
dianis vera pœnitentiæ exercitiis, Diuina vir-
tute,

tute, restinguantur, magno contumacia incendio tandem ebullire atque regnare petulanter occipiant.

Cum tanta igitur ^{ἀταξία} superfluitate Prophetæ colluctans, & titillationibus atque tumultuationibus carnis non leuiter exagitatus, Diuina gubernationis auxilium implorat. Hoc in eum verò est peccati originalis immundiciem diffiteri, aut Alienis delictis annumerare? in populo præsertim dei, ubi discrimina viciorum conspici cum primis necesse est, Ideoque distinctionem ipse facit, inter Affectus & Effectus, sicut Augustinus loquitur, seu inter latentia errata, quemadmodum Psalmus nominat, & Manifestos flagitiorum, furores, quos nulla Humana diligentia, sine Spiritus Sancti gratia, euitare potest.

Quidam totum versiculum exponunt, de duplici genere Hostium Ecclesiæ, quorum Alii sunt occulti, siue Hypocrita, & falsi fratres, qui vulpina pelle tecti, doctis dolis & facetis fabricis rem agunt. Alii autem sunt leones superbi & Arrogantes, conflati ex crudelitate & impuden-

DE PECCATO

tiā summa. Etsi enim horrenda copulatione Hæresium accedunt, in ouili Dei immaniter grassantur, nihilò tamen minus sanctissimum Ecclesie Catholice titulum ad se rapiunt, & ἀναμάστητοι prorsus esse volunt. Putant se cultum præstare Deo. Iohan. 16. Gloriantur in desideriis Animæ suæ, Psal. 10. In malicia sua efferuntur. Proverb: 2. Peccatum suum prædicant, sicut Sodoma, Isa: 3. Quocircà utrunq; illis Nomen tribuitur, quòd & ZEDIM sint, ob fastum ac Rabiem centauricam, & ZARIM quoque, hæc est, filii Alieni. Psal: 144. Isa. 2. Propter ἀποστασία, qua sese à Deo & veritatis via furenter auertunt. Et tales etiam cum se esse norint Romana Synagoga satellites, patroni iam olim Mendaciorum & Tyrannidis seuissimæ facti, qua tandem fronte, peccatum originis, ex cuius radice, tot malorum fructuum germina apud eos proueniunt, tanquam Alienum quiddam extenuare audent? Sed nimis verum est, quod Augustinus dicit, Pessimus genus peccati esse, non agnoscere peccatum.

Atqui

ATQVI CONDONATIONEM

gratuitam suæ prævaricationis, in semine Bene-
dicto, primi parentes consecuti fuerunt,

Quomodò igitur nobis lapsus
illorum nocere
potest?

Adam in gratiam à Deo receptus, non
ex eo generavit, quòd Filius Dei, & regeneratus
iam fuit, sed ex eo tantum, quòd Filius quoque
seculi etiamnum fuit, in similitudine sua iuxta
imaginem suam, Genes. 5. Pollutus pollutos. Job:
14. Peccator peccatores, Romanor. 5. Mortalis
mortales, 1. Corinth. 15. Neque ex iustificatis fide
parentibus, nunc etiam Filii iusti nascuntur, sed
iniusti & Fræ Dei obnoxii, Ephes. 2. Caro enim
ex carne producitur, Iohan. 3. Licet mente iam
curati sint genitores. Et Judeus circumcissus ge-
nerat filium cum præputio, granumq; nudum &
purum, si seminetur, procreat granum cum pa-
lea, quemadmodum Augustinus, Bernhardus,
Gerson, & alii, similitudines eas recitant.

Sed

DE PECCATO

SED EX LEGITIMO CONIV-
gio pleriq³ nascimur, quod Sanctum est, et Hono-
rabile, Natiuitatem ergo illam, velut impuram,
qui vituperant, contumelia afficiunt
coniugium, & coniugii Au-
torem, ipsum
Deum?

Accuratis limitibus discernendum est o-
pus & ordinatio Dei, à destructione, qua postea
accessit. Etsi enim Deus peccatum nec vult, nec
approbat, ex immensa tamen Misericordia,
propter filium Mediatorem, conseruat nunc at-
que propagat hanc Naturam, qualis est, post la-
psum, viciatam nempe horribiliter, ac Morti
subiectam, sicut ex carioso ligno non, nisi cariosi
fiunt lintres. Et ad eam rem coniugii quidem ab
se instituti, & post tristissimam etiam Hominis
Ruinam, sanciti denuò, leges teneri adeò inuio-
late, precipit, ut contra tum sentientibus, tum fa-
cientibus, multarum, Execrationum fulmina
passim, minitetur, sed prauas concupiscentiæ
flamas, sine quibus nunc generatio Sobolis,
etiam

ORIGINALI.

21

etiam in coniugio, nulla fit, ad Diuinæ ordina-
tionis sanctitatem, Diabolus quando virulentè
affluit, contagii inde Originalis progressum ad
nos traduxit. Filios itaque procreare, ex præce-
pto Dei venit, cupiditas verò, quæ facit filios
procreare, ex pœna peccati est. Chrysostom: Ho-
mil: de Adam. Et Eva. Et voluptuosa libido
damnatur, Nuptia non damnantur. Augustin.
lib: 4. Contra Pelagian. Illa enim non est, ex na-
turali coniugio veniens Bonum, Sed ex Antiquo
peccato Accidens Malum. Idem lib. 1. de Nup.
& concup. cap. 17.

AT SCRIPTURA NON
habet Apellationem peccati Originalis, ergò No-
uo hoc & commenticio vocabulo, citra pieta-
tis iacturam, facile poterit Eccle-
sia carere?

Respondeo ex Augustino, lib. 7. de Trinit.
cap. 4. Si scriptura non dicit, tamen nec con-
tradicit, Et Hilarius inquit, lib. aduer. Con-
stant. Apostolus iubet Nouitates vocum deui-
tari, tu cur pias excludis? Licet enim vox illa

F

(Ori-

DE PECCATO

(Originale) iisdem omninò literis ac syllabis,
nullibi apud Prophetas & Apostolos legatur,
idem tamen sensus passim expressus est.

Equidem, Gen. 3. Ubi Caput serpentis nomina-
tur, hanc quoq; capitis eius primariam partem,
& ex Regno peccati & Mortis presultorem
illum, etiam intelligi sciamus, quem Cerberum
tricipitem haud falso quispiam dixerit, Habi-
tantem in Nobis, Rom. 7. latrantem in Nobis,
aduersus Dominum. Rom. 8. Mordentem ac
Cruciantem nos. Isa. 66.

Dicitur etiam Appetitus seu accursio pec-
cati ad Hominem. Gen. 4. Ad te erit Appeti-
tus tuus: Ea q; concione designatur maxima vis
atq; tempestas viciosarum prauitatum, heren-
tium in Natura Corrupta, & instar Euripi, ita
semper exestuantium, ut tanta inundationis
concursum, ipsi etiam Renati, in Mare securitatis
interdum abrepti, Multis insignibus probris
Ecclesiam Matrem, & professionis suae excellen-
tiam deforment.

Imago Adami. Gen. 5. Genuit Adam Fili-
um, in similitudine sua, iuxta imaginem suam.

1. Cor.

1. Cor. 15. Gestamus Imaginem Terreni Adami.
 Et hæc est similitudo & Imago peccati. Irenæus
 lib. 5. Pollutio in patre & Matre. Origen. Ho-
 mil. 12. in Leuit. Natiuitas ex concupiscentia
 carnis. Augustin. lib. 1. de Nupt. & concup. cap.
 17. Natiuitas cum traduce peccati & Mortis
 Idem. Tract. 3. in Ioh. Similitudo non Creata à
 Deo, sed genita ex Adamo, non solum Oris figu-
 ra, sed peccati quoq; conditionibus. Lutherus in
 Genes.

Omne figmentum cogitationum & cordis
 Humani non nisi Malum omni tempore, & ab
 Adolescentia sua. Genes. 6, & 8. Quicquid
 enim Mens & Ratio Hominis ante superni lu-
 minis donationem, studiosè excogitat, sollicitè ri-
 matur, superbe miratur & magno conatu fin-
 git, pingit, tornat, ornat etiam in summo pie-
 tatis, virtutum, ut ipsa sibi persuasum habet ac
 gradu, totum id, cum sine vera Dei agnitione
 fiat, in conspectu Dei prauum est. Imò abnegatio
 Dei est, Psal. 14. Contemptus Dei, Psal: 10. 94.
 Exorbitatio à viis Dei. Psalm: 119. Peccatum,
 Psal: 109. Roman: 14. Maledictio. Psalm: 119.

DE PECCATO

Abominatio, Prouerb: 15. Via ducens ad interitum, Prouerb: 16. Somnium, Ierem: 29. Vanitas, Ierem: 11. Sap: 13. Roman: 1. Inimicitia aduersus Deum. Rom: 8.

Immundities ex immundo semine. Hiob: 14. Quis proferet purum ex impura Massa? Nam ab Origine paterni Seminis contaminamur, Origen: Homil: 12. in Leuitic: Contagio maculamur, antequam nascimur, Ambros: in Apolog: David, Cap: 11. Et hereditario Iure constringimur. Augustin: lib: 2. contra Petilian.

Iniquitas ex conceptione & Natiuitate. Psal: 51. Non enim ea tantum peccata sunt, quae facimus, sed peccatum etiam habemus, 1. Ioha: 1. Latens in nobis. Psalm: 19. Inhabitans in Nobis. Roman: 7. Existens in nobis. Ephe: 4. Tenaciter nobis inherens. Ebr: 12. Originaliter scilicet ex parentibus contractum. Et quia illi non carent crimine, ideo nec conceptus iniquitatis exors est, Ambros: Apolog: David. Sed peccatum de Natura peccante, transit in Naturam peccatricem, Augustin: lib: 4. contra Pelag:

Peccatum scriptum stylo ferreo, & ungue
Ada-

Adamantino in tabula cordis nostri, Ierem: 17.
 Et cor nunc peruersum est, Miserum, & in-
 scrutabile, Ibid: Nequaquam dicit Propheta O-
 riginalem Labem externarum duntaxat for-
 dium leuiculas esse Aspergines, Sed totam Na-
 turam accusat, propter lepram ac pestem in nos
 transfusam, quæ Radicum suarum fibras in
 ipsis cordium nostrorum Adytis abscondas habet,
 eisq; velut insculpta, perpetuo fluctuantium du-
 bitationum ac petulantium Ardorum motu sin-
 gulos commonefacit de peruersitatis scriptura,
 quam nobis ingenitam circumferimus, detur-
 bata iam de statu Rectitudinis potentia cogno-
 scente & appetente, omnibusq; adeo Affectibus
 ac viribus distortis nunc & auersis à Deo pror-
 sus.

Lex Membrorum, Roman: 7. de qua Bern-
 hardus inquit, Serm: 81. in Cant. Ipsa voluntas
 mea est lex in Membris meis, Recalcitrans legi
 Diuine. Notatur autem proprie subiectum, in
 quo Originale Malum haret. Et Scriptura ali-
 quando copulatiuè loquitur, de carne peccati,
 Roman: 9. Seu de Anima & corpore, Sap: 1. In-

DE PECCATO

terdum velut ἀνατομικῶς & seorsim concionatur,
 de Mente & intellectu, tenebris obscurato. Isa: 6.
 1. Corinth: 2. 2. Corinth: 4. Ephes: 4. De corde,
 omnis peccati lacu profundissimo, Genes: 6. 8. Je-
 rem: 17. Matt: 15. De Semine ipso, in quo est Ini-
 quitas, Psal: 51. De ore, lingua, ac labiis, execra-
 tione, amarulentia, veneno Aspidum, & frau-
 dere refertis, Psal: 5. 14. 57. 144. De pedibus ac
 Manibus, ad effusionem Sanguinis, & Rapinas
 sectandas promptissimis. Psal: 37. Isa: 1. De ocu-
 lis, concupiscentia & Adulterio plenis, 1. Ioha: 2.
 2. Pet: 2. In his enim & reliquis Membris, Ori-
 ginale peccatum sedem ac pedem fixit, & ex ma-
 la Arbore malos etiam, subinde, producit fru-
 ctus, Matth: 7. 12. Iugoque seruitutis reuinctos
 Adami filios aratrum, longè grauiusimum,
 trahere facit, Augustin: libr. 5. contra Pe-
 lagian.

Sensus carnis, Rom. 8. Id est, Uniuersum,
 Mentis Iudicium, & voluntatis & cordis impe-
 tus, hostiliter Deo repugnantes, in Omnibus non
 Renatis, qui Spiritu Sancto destituti nihil lucis

&

Et conformitatis de Deo, Et cum Deo habere
possunt.

SVNT NE PRÆTEREA

Et alia Appellationes peccati

Originalis?

Ex multis precipuas tantum delegimus, ad
quas illam quoque, ob controuersias pene infinitas
addere nunc libet, quod Natura etiam Pecca-
tum dicitur. Sap. 12. Naturalis erat Malicia
eorum. Ephe. 2. Natura eramus Filii Ira, quem-
admodum Et ceteri.

QUOMODO INTELLI-

genda est vox Na-
tura?

Ecclesia non est Magistra Amphibologia-
rum, sed Scapham vocat Scapham, et τὰ σῦκα, σῦκα.
Proinde cum docemus Natura nos peccatores
esse, disertè testificamur de amissa priori integri-
tate, Et de Naturali propagatione peccati ab
Ada-

DE PECCATO

Adamo traducta. Sumus enim filii Iræ & Natura, id est, verè & propriè, ut Theophilactus explicat, Et peccatum est nobis Naturale, id est, ipsa origine, ab utero Matris nobis ingeneratur. Neque hoc vult Apostolus, peccatum unà cum Anima & corpore à Deo factum creatumque esse in Homine, sicut Aetius apud Epiphanium ea opinione dicit, libidines esse Naturales, in quam heresim nostro etiam tempore Monachus Coloniensis impegit, cuius hoc est paradoxon, Perinde esse, si carni præcipiatur, Non concupisces, ac si Deus præciperet Soli, ne luceret, & Igni, ne arderet. Multo certè minus Gentium Doctor contendere præsumpsit, ipsam Corporis & Animæ nostræ substantiam, peccatum Originis esse, cui fanatico Errori etiam Tertullianus iam olim, lib: de Resurrect: Carn: orthodoxam hanc sententiam opposuit: Caro & Sanguis non Substantia, Sed Culpa nomine arcentur à Regno cælorum. Natura autem vocabulo illorum vanitas retunditur, qui cum Antonio somniant, peccatum extra Naturam esse, seu, Naturalia etiamnum, integra prorsus esse, sicut post Pelagium vociferantur

rantur pontificiarum Abominationum Atlan-
 tes, cum quidem scriptura Diuina omni assere-
 ratione affirmet, Homines ex Hominibus Na-
 turaliter non nasci nunc, communi omnibus le-
 ge, nisi Abalienatos atq; diuulsos à Deo, Psal:58.
 Isa:59. Ephes:4. Pollutos & iniustos, Ezech:16.
 Roma:1. Maledictos & condemnatos. Deut:28.
 Psal:119. Galat:3. Sordes ac Maculas. Deut:32.
 Escam vermium, & prædam gehennæ. Job:14.
 20. Psal:49. Isa:14. 66. Syr:10. 1. Corinth:6. Gal:5.
 Iacob:5. Apoc:20. 22.

Hac igitur locutione Spiritus Sanctus in-
 concussam Ecclesiæ Nauiculam, inter duos sco-
 pulos, admodum periculose ex aduerso concur-
 rentes, tutissima via, ad veritatis portum dedu-
 cere voluit, quòd vox Naturæ dextrè intellecta,
 partim ab eorum clamoribus præmunire nos de-
 beat, qui extenuationem peccati Originalis in
 professione habent, partim autem eos quoque cor-
 ruptæ hinc sinceritatis arguere liquido possit, quo-
 rum, extra sanæ doctrinæ cancellos longius eue-
 cta Temeritas, ad Magnitudinem huius Mor-
 bi, satis luculentè in scriptura nobis ob oculos posi-
 tam,

G

tam,

DE PECCATO

tam, infinitos Hyperbolicarum, Amplificationum cumulos aggerere voluisse, non uno solum tempore visa fuit.

QVIBVS ERGO VICII ORIGINALIS Negatoribus Natura vocabulum recte opponitur?

Hæc phrasis primùm refutat Carpocratianos, qui docuerunt, Natura nihil esse Malum, sed opinione tantum.

Deinde Naturale hoc peccatum dicitur, quòd non minus positivè quàm privativè nobis dominetur. Multi enim omnibus temporibus Mendaciorum pugiles fuerunt, quibus contendere libuit, Amissione Bonorum, per Adami lapsum, facta, Malorum contrà introductionem non extitisse. Ita concessò defectu, impudenter negant infectiones & affectiones imagini diuinæ contrarias, quarum tamen presentiam atque vehementiam, post scripturæ Testimonia innumera, ipsi etiam effectus multifariam ostendunt, Actualium scilicet peccatorum Monstra, impietiumq; Mortis, cui uniuersa Adami posteritas

tas

tas subiecta est. Et, sana etiamnum si Natura manet, ad quid opus est ei Medico? Augustin: de Natu: & Grat: Cap. 1.

Tertio, Natura hoc peccatum est & dicitur, quia non assuefactione aut imitatione nobis adiacet, sicut Pelagius docuit, sed ipsa propagatione Naturaliter seu concupiscentialiter in nos transit. In peccatis enim concipimur & nascimur, Psal: 51. Successimus in Hereditatem pravaricationis, Ambros. Roman. 7. Hereditario malo corripimur, & impietas de Radice etiam in ramos crescit, Hieronym: 6. Ezechiel. Peccatum Protoplasti omnes trahimus, non Morum imitatione, Sed seminis conceptione. August: lib: 2. Contra Pelagian. Cecidit primus Homo, & omnes, qui de illo nascuntur, traxerunt concupiscentiam carnis, Idem, Tractat. 3. in Iohan: Ab illo omnes impressum portamus cauterium, hereditariam scilicet concupiscentiam. Bernhard. Serm: 73. in Cant.

Quarto, Natura Appellationem in descriptione peccati Originalis, ex fontibus Israelis nobis communicatam studiosè retinemus, ne quis

DE PECCATO

de sola pœna id interpretari præsumat, quod si-
muletiam de culpa intelligi necesse est. Nam ea
nos tantum Ratione peccatores fieri scribunt
Monachi & Iesuitæ, qua Iephthæ nascitur Spu-
rius, Iud: 11. non suo, sed parentum Vicio, nudam
infamiam sustinens sine crimine. Has præstigia-
rum Nebulas nullo negotio Paulus discicit, in-
quiens, Filii Iræ sumus Natura, hoc est, Non
Homines tantum ex Hominibus nascimur, sed
corruptio etiam Gentilicia unacum Reatu ex
paterni seminis Massa nobis ingeneratur. Ve-
teres quidem, & in his Chrysostomus præcipue
& Augustinus non negant, peccatum Originis
esse pœnam inobedientiæ primorum parentum.
Ita enim ille, Homil: de Adamo & Eva, locisq;
aliis non paucis affirmat. Hic verò lib: 5. Contra
Julianum, disertè addit, concupiscentiæ esse quoq;
causam peccati, ex defectiōne consentientis, &
contagio nascentis, peccatumq; adeò ipsum, quòd
insit ei inobedientiæ.

Quintò, Naturalis hæc labes dicitur, quia
non in aliquibus Saltem personaliter, sed in om-
nibus ac singulis Naturaliter Radices suas ab-
scon-

scondit, ut cum Epiphanio loquar, Hæresi 64. Et Bernhardus inquit: Peccatum Originis non tantum personam inficit, Sed Naturam totam, nec solummodo uniuersum Genus Humanum, sed & quemlibet eius generis.

Sextam Rationem huius Appellationis monstrat Lutherus aduersus Manichæos disputans, Genes:6. Manichæj enim tribuebant peccatum non toti Homini, Sed parti, id est, Soli carni, non Animæ. Et carnem quidem, à Malo quopiam Genio factam esse contendebant, Animam uero à Bono Deo. Istis igitur partitoribus Impartibilium hæc vox obiecta, testimonium dicit, de horrendo peccati Originalis veneno, quod non una aliqua, Sed omnibus totius Naturæ externis atque internis partibus, Organis, & uiribus penetratis, quicquid habemus ac sumus, corruptum & reum fecit.

Cum autem recenti etiam memoria, & hac ipsa quoque nostra ætate. à multis subtiliter magis, quam utiliter disputatum sit, Animam Hominis peccato Originali contaminatam non

DE PECCATO

æquè esse, ut corpus, & alias nunc eius erroris correctiones breui simul commonefactiuncula hic attingere visum fuit. Paulus certè ^{ἄνθρωπος} Hominem nominans, 1. Corinth: 2. in Anima etiam fœditatem haud obscure digitorum intendere, & potissimas eius facultates attritas admodum & accisas nunc, seu, ut verius dicam, multipliciter destructas esse, testari voluit, quòd ad spiritualium Rerum intelligentiam ac diiudicationem Nabales ac Talpæ sint omnes non Renati, carentes Spiritu Dei, viuentes ritu animantium Brutorum, sola carnis commoda sectantes, ut Sedulii collectanea ex patribus vetustioribus locum illum declarant. Et, Macarius Homil: 2. inquit: Totum Hominem, Animam videlicet & corpus, improbus ille maculauit. Iacobus quoque cap. 3. ^{ἄνθρωπος} sapientiam ubi damnat, auersam à Deo Animam esse arguit. Collapsa enim est in peccatum, Augustin: lib. 1. de Orig: Anima. Sub iugum seruitutis cecidit, & sub Regnum Tenebrarum, Macar: Homil: 47. Et peccatum est permixtum Anima, & in Anima absconditur. Idem, Homil: 2. Ideò Hesychius lib: 6. in Leuit.

Ori-

Originalem labem nominat Immundiciem Animæ. Primasius, 1. Cor. Jugulationem Animæ vocat.

Jam & curatione indiget Anima, Quomodo igitur peccati expers est? Ita Ezechias ait, Isa:38. Misertus es Animam meam, peccata autem mea proiecasti retrorsum. Et Filius Dei, ut Hominem redimeret, tam Animam quam Corporis Humani substantiam assumpsit. Totum enim Hominem induit, & totum liberauit, qui totum creauit. Augustinus Sermone, 145. de Tempore. Et: Si venit Christus, saluum facere, quod perierat, Quia totus Homo periit, totus beneficio Saluatoris opus habet, & ideo Christus adueniens, corpus & Animam suscipiendo, totum saluare voluit. Idem contra Felician. Huc addantur similia Orthodoxæ Antiquitatis dicta. Chrysostom. & Theophilact: Cum Anima prior peccauerit, carnemne ille assumendo, carni tantum mederi voluit, id autem quod principalius est, infirmum relinquere? Fulgent. de duplici Natura Christi. Simul Hominis & Corpus & Animam suscepit, ut secundum carnem,

Me-

DE PECCATO

Moriens, Mortem vinceret, & per Animam suam, nostris Animabus iusticiam redderet. Vide præterea Originem, lib: 12. in Leuitic: Athanasium, Serm: Maiore de Fide. & Cyrillum Alexandrin: lib: 6. In Iohan: cap. 7.

Neq; etiam Anima impiorum non agentium pœnitentiam ab æternis cruciatibus immunes sunt, Matth: 10. Sed unà cum corporibus tandem in gehennam Ignis præcipitantur. Nihil igitur est, quòd innocentiam ipsis Originalem, contra tot Scripturæ Assertiones, tribuamus. Plura in hanc sententiam Argumenta, quæ purior Theologia passim suppeditat, coacervare nunc non libet, ne Breuitatis fines nobis propositos transiliamus.

QUINAM SVNT PORRO,
quos contra scripturæ Iudicium, Peccati Originalis conditiones, nimium amplificare, dicebas?

Marcionitæ & Cerdonis dogma novis Errorum confusionibus augentes, totam Naturam, ut malam damnabant. Rerum enim universitatem

tatem per Naturam designantes, opificium eius
 Ignoto Deo, prauitatis Autori, tribuebant, com-
 memorantibus Irenaeo, lib:3. Cap. 12. Clemente
 Alexandrino, lib:3. & 4. Stromat: Epiphano,
 Heresi 42. & Iustino etiam Apolog:2. Sed scri-
 ptura utrunq; pronunciat, & Res creatas Ori-
 gine bonas esse, & à fonte etiam Bonitatis, vno
 ac vero Deo, existere. Gen. 1. & 2.

Deinde Aetiani, Manichej, Appollinari-
 ste, quos Athanasius coniungit, & Pontificij
 etiam, quod supra quoq; adnotatum à nobis fuit,
 peccatum ex Natura esse, seu ab ipso creationis
 seminario profluxisse, ingenitumq; Adamo fuis-
 se, blasphema in Deum opinione astruere sunt
 ausi. Homo enim & peccator duo sunt Nomina:
 Peccatorem se ipse fecit Homo, Hominem autem
 fecit Deus, sicut Augustinus inquit, Cuius sen-
 tentias cum verbo Dei congruere pij norunt, Ideò
 sepe hoc repetit atque inculcat, creatum esse pri-
 mum Hominem in Natura bona, sine culpa, sine
 vicio. Serm: 11. de verb: Apost: & Mo. Serm:
 14. dicit. Non accusamus Naturam. Natura
 Autor Deus est, & à DEO bona est instituta

H Natu-

DE PECCATO

Natura, sed per malam Voluntatem à Serpente viciata est. Idem tradit Hieronymus: 47. Isa: Homo erravit non Naturà, sed Mentis arbitrio. Basilius ait: Anima Malum in se obtinet non Naturà, Sed boni desertione in eum statum venit. Et Prosper asseuerat, lib: de Provident. Concupiscentiam non esse Naturalem à primo creationis exordio, Sed ex prima & voluntaria Hominis prauaricatione. Et iniquitas non est Natura quam fecit Deus, sed peruersitas quam fecit Homo, sicut ex Augustino iam citatus Autor refert.

Postremo tandem loco illud quoq³, ex Manicheorum lacunis haustum est atque miris agitata disceptationibus commentum, quo pugnatur, Peccatum Originale ipsam, nunc post lapsum, Hominis Substantiam, atque adeo Animam eius Rationalem esse, Diaboliq³ Imaginem essentialiter nobis infusam atque insculptam, & transmutatos jam olim nos in nouam prorsus Physicam & Substantialem formam, Dei tantum opus esse Ratione primæ creationis, Diaboli verò plasma, propter peccatum.

Ad

Ad hoc opinionum chaos illud quoque ^{ἐπιταγμα} additur, quod in Paulo Apostolo tres distinctas substantias fuisse, à quibusdam affirmari sci-
mus, veterem nimirum Hominem, & Novum,
etiam, cui denique numero adiungendus sit ^{σκόλος} in
carne, hoc est, ipse inhabitator Diabolus, quem
admodum noua ^{ματαιολογία} interpretatur.

QVIBVS SCRIPTURÆ ARIE-
tibus opinio illa Rectè oppugnatur,
atque subuertitur?

Plures ij sunt, & firmissimi.

PRIMAM IGITUR CON-
futationem nunc ediffere?

Definitionem peccati in genere & specie sic
tradit Scriptura, ut Naturam ipsam, seu Ho-
minis substantiam, & vicium Natura minimè
confundat. Est enim violatio seu Transgressio le-
gis Diuinæ, 1. Iohan. 3. Et sensus carnis, Rom. 8.
Concupiscentia carnis, 1. Iohan. 2. Concupiscen-
tia, Militans aduersus Animam (Non ipsa

H 2 Ani-

DE PECCATO

Anima) siue ut Augustinus loquitur, lib. 4. contra Pelagian: & Tract: 30. in Epist: Iohan: Est Natura peccantis vicium, Non ipsa Natura. Inficit Naturam. Bernhard: Serm: 1. de Pentecoste. Est morbus & corruptio Anima. Idem Serm: 6. de Aduentu. Lutherus Genes: 3. Sicut lepra carnem inficit, ita voluntas & Ratio per Peccatum adeo viciata est, ut non solum non diligit amplius Deum, sed fugiat quoq; & odio habeat. Idem, Iesa: 9. nominat innatam Animo impietatem, qua quasi venenum quoddam, totum corpus peruasit. Et Psal: 90. inquit: Siue Qualitatem siue Morbum vocauerimus, extremum profecto malum est, etc.

QVÆ EST SECUNDA CONFIRMATIO vera sententia aduersus delirium istud?

Spiritus Sanctus certis quibusdam particulis Subiectum siue sedem peccati, & ipsam inhabitantem & corrumpentem subiectum, accuratè discernit, quales sunt.

SVB. Genes: 4. Sub te erit appetitus tuus.
Psal:

Psal:14. Roman:3. Venenum Aspidum sub Labijs illorum. Roman:6. Venundatus sum sub peccatum. Roman:9. Galath:3. Conclusit scriptura omnia sub peccato. Augustinus enarrans Psalmum 50. nominat Relegationem sub peccatum. Theodoretus, Dial:2. ὁ πρῶτος ἄνθρωπος ὅλος ὑπὸ τῆς ἁμαρτίας ἐγένετο. Primus Homo totus factus est sub peccato, Non dicit, factus est ipsum peccatum.

IN. Psal:51. Ecce in iniquitate conceptus sum, & in peccato concepit me Mater mea. Hic habes personam Davidis in labe peccati generatam, Non autem ipsum peccatum, Ierem:17. Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo, & ungue Adamantino in tabula cordis ipsorum. Aliud est igitur Substantia cordis, & aliud, vicium in corde. Roman:7. In carne mea non habitat bonum. Roman:8. De peccato damnauit peccatum in carne, Ephes:4. Propter inscitiam existentem in ipsis, (ἀγνοίαν ὄνσαν ἐν αὐτοῖς.) Ignatius Epist: ad Trallianos. Incipiebamus perire, propter Maliciam, quæ erat in nobis. Augustin: lib:2. de peccator. Merit: & Remis: cap:4. Ori-

DE PECCATO

ginale peccatum est Malum in carne nostra. Cyrillus ad successum. Meminimus Beatissimum Paulum legem peccati appellare in fitos nobis Voluntarios motus. Gregor: lib: 8. in Iob Cap: 3. Nascimur, inserto infirmitatis vicio. Fulgent. de Incarnato. & Grat: D. N. I. C. Habet Caro in se ipsa peccatum. Augustinus alicubi usurpat particulam CVM. Tract: 3. in Iohan: Homo natus cum Traduce peccati & Mortis. Tract: 4. in Epistl: Iohan: Cum concupiscentia nati sumus. In enarrat. Psal: 50. Homo cum Originali peccato nascitur, impietati subditus, Morti q̄ subiectus.

Memorable autem cum primis est, quod ex Nazianzeno colligitur, eius temporis Catechistas sciscitari fuisse solitos expia iuuentute, que Christo nomen in Baptismo dederat, an peccatum Originis ipsa Hominis Caro & Anima esset, Illam verò ex orthodoxo consensu Prophetica & Apostolica veritatis respondisse, Non.

Si

SI PECCATVM IN CARNE

Hominis, Domiciliū habet, quī fit ergo, quod

Totus Homo, post, lapsum, caro
nunc dicitur?

Non ociosè eludimus conciones Sacras, quibus totam Naturam Hominis corruptam, & peccati ac mortis captiuam, Deus accusat, cum inquit: Non litigabit Spiritus meus cum Homine, quia Caro est, Genes:6. Item: Quicquid natum est ex carne, Caro est, Iohan:3. Etsi enim plures atque diuersæ vocabuli carnis significationes sunt, quarum aliquot recenset Augustinus, lib:14. de Ciuit: Dei, Cap:2. tamen in his & similibus dictis, ea appellatione Notantur Homines non Renati, & simul ostenditur, omnes sub lege & Ira esse, nisi ad Deum conuertantur, quod ex Natiuitate Carnali Spiritum Sanctificantem non habeant, sed illo destituti prorsus, & peccato obnoxij, vitæ cœlestis expertes sint, quemadmodum Irenæus lib:5. & Theophylactus etiam passim exponit. Perquam vero absurde hinc consequentia exstruitur, peccatum esse *ἐπιπέσαστορ* seu *ὑπέσως* quiddam, aut ipsam Hominis Carnem,
cum

DE PECCATO

cum Augustinus toties inculcet, Essentiam non habere, quod à Deo non est factum: Et damnatur viciata hac Natura, non propter carnis substantiam à Deo conditam, sed propter culpam in nobis harentem, seu quòd carnales nunc sumus, & carnaliter affecti, Roman: 8. 1. Corint: 3. Perpetuus enim Scripturæ mos est, (inquit Chrysostom: Homil: 21. in Genes:) carnem vocare carnales, seu carnaliter affectos: Et hoc non tantum de Appetitu sensitivo, Sed simul etiam de intellectu ac voluntate accipiendum est, omnibusque adeò iudiciorum ac motuum confusionibus, Deo contrarijs. Hinc Regeneratus iam Homo non dicitur esse in carne, Roman: 8. non quòd carnis substantiam protinus exuat, Sed quòd carnalibus concupiscentijs non indulgeat, ut Augustin: Serm: 4. de verb: Apostoli, dicit. Et Lutherus Genes: 6. ait, Hominem esse carnem, quòd Deo sit contrarius, et pergat in sua carnalitate, ridendo & persequendo verbum, nisi Diuinitus illustretur, & emendetur.

Qua

QVÆ EST TERTIA RATIO,
 qua falsitas eius dogmatis conuincitur
 atq; infirmatur?

Ex lapsu Adami & Eue non facta fuit in
 ipsis & eorum Filijs prioris substantiæ amissio
 & abolitio, vel in nouam aliquam Essentialem
 formam aut laruam transmutatio, sed Chara-
 cteres imaginis Diuinæ perdidimus, & illa qui-
 dem non erat in protoplastis parentibus, confor-
 mitas cum Deo Substantialis. Unus enim & So-
 lus Christus, est χαρακτήρ τῆς ὑποστάσεως, καὶ εἰκόμ τῆ θεοῦ
 τῆ ἀοράτου, καὶ ἀπαύγασμα τῆς δόξης αὐτοῦ. Coloss. 1. Ebr: 1.
 Neque etiam nunc Deo similes fieri possumus, se-
 cundum Substantiam, referente Athanasio ad
 Epictet. nec in unam cum ipso consubstantiali-
 tatem coadunamur, Vt Epiphanius loquitur,
 Anoma. Ideo Paulus Imaginem eam interpre-
 tatur de veritate, Iusticia, & sanctitate, seu de
 luce & integra Harmonia, cum lege Dei, Ephes:
 4. Cuius firmamentum & fructus fuit, Sancta
 securitas & pax, & leticia spiritualis, acquie-
 scens in Deo, Animiq; altitudo tanta, in quam
 nullius pauoris sensus cadere posset. Roman: 14.

I

Ephes

DE PECCATO

Ephes:5. Philip:4. Et nota sunt verba Lutheri, in primum Genes. Habuit Adam in substantia sua Imaginem Dei, quòd non solum Deum cognouit, & credidit eum esse bonum, sed quòd etiam vitam vixerit planè diuinam, hoc est, quod fuerit sine pauore Mortis, & omnium periculorum, contentus gratia Dei. Ad hanc itaq; imaginem, (in cuius amissa locum successit caligo & cecitas tristissima, ac multiplex & horribilis & tragica, furenter Deo repugnans, & ipsa denique Mors interna, externa et aeterna, ut Bernhardus dicit) reparamur nunc atq; refingimur de die in diem, à Spiritu Dei, 2. Corinth:3. 4. Ministerio verbi & Sacramentorum, non infusione Nouæ alicuius substantialis formæ, sed vera ac salutari pœnitentia, fide, ac pietate, in nobis accensa, confirmata, & aucta, Deo ipso docente, trahente, illustrante & purificante Mentis ac corda eorum, qui conuertuntur.

Iohan: 6. Acto-
rum 15. etc.

Atquæ

ATQVI HOMO, POST LA-
 psum, cum iumentis passim comparatur, & ali-
 cubi etiam lapis & Truncus audit, ergo prior
 eius Substantialis forma, in aliam pror-
 sus Diabolicam transmu-
 tata est?

Jrenaus lib: 4. Cap. 80. respondet, Homi-
 nem istiusmodi Brutis Animantibus & rebus
 futilibus adæquari, Non Natura & Essentia, sed
 similitudine operationis, & conditione etiam
 multiplicis Miseria, ut scriptura ostendit. Ho-
 mo enim non simpliciter est Equus & Mulus,
 sed, sicut Equus & Mulus, caret intelligentia
 spirituali, Psal: 32. & cæco errorum impetu Ra-
 ptus, omnibus cupiditatibus indulget, nisi bonus
 Rector ac infessor accedat, Augustin: lib: 3. Hy-
 pognost: Et Iumentis comparamur, Psalm: 49.
 Quia ad Brutorum vilitatem exorbitauimus,
 & salutis nostræ contraria committimus, & stul-
 ticiæ iugo, nos subdimus. Basil. explicat. Psalm.
 Iumenta etiam quantumvis bene phalerata &
 Saginata, flagris tamen ceduntur, aut mactan-
 tur

DE PECCATO

tur prorsus, aut laboribus ac morbis fracta atque oppressa, cornuorum tandem, vermiumque ac canum esca fiunt. Ita Homo non Renatus, licet voluptatibus ad tempus hic affluat, & omnium Rerum, quas hac vita suppeditare potest, abundantia affatim fruatur, tamen vas Irae est, & Diaboli mancipium, breuique momento post ex fucosa hac splendorum vanitate, in Regionem damnatorum migrat, ubi vermis perpetuo conscientiam vellicans, & Ignis nunquam desiturus ipsum expectat.

Cum lapide porrò confertur Homo, propter duriciem cordis, Ezech. 11. 36. quod nunquã emolitur, nisi post Malleum contritionis, seu vocem legis exasperata, sanguine etiam Agni Masculi, qui est sanguis Iesu Christi Filij Dei, efficaciter perfundatur. Ea enim Ratione vel ex lapidibus excitare liberos Abrahamo Deus potest, Matth. 3. Quanquam haud ignoro, Chrysostomum, Homil: 10. in Matth: aliter hunc locum discutere.

De Trunco autem quod dixi, ex Hosea cap. 6. allegari solet. Per Prophetas meos dolavi eos.

Quo

Quo autem sensu hoc accipiendum sit, luculentè docet Lutherus, Tomo Ien: 4. Lati. fol: 626. Et Rationes huius Metaphoræ singulari diligentia à nobis quoq; expositæ sunt, in libello questionum de Libero Arbitrio, quò nunc lectorem remittimus, ne eadem toties Verba nobis iteranda sint.

HABESNE QUARTO ETIAM
 loco, quod contrariæ illius opinionis funicu-
 los rectè dissolvere
 possit?

Etiam, post lapsum, Deus est & manet pro-
 pagator & conservator Naturæ Humanæ, qua-
 lis ea nunc est, in hac depravatione. Condit enim
 substantias, peccatum autem nec vult, nec ap-
 probat. sicut scriptum est, 1. Ioha: 2. Concupiscen-
 tia carnis non est ex Deo. De substantijs verò
 nostris hæc & similia extant testimonia. Hiob. 33.
 Spiritus Domini fecit me, & Flatus eius vivi-
 ficavit me, Psal. 33. Ipse fingit singulatim corda ec-
 rum, Iohan: 5. Pater meus adhuc usq; operatur,
 & ego operor. Actor. 17. Ipsius genus sumus, &

DE PECCATO

in ipso viuimus, mouemur, & sumus. Qui igitur ex peccato substantiam faciunt, dupliciter in Deum blasphemi sunt, dum vel gloriam creationis sacrilego ore ad Diabolum nouæ substantiæ architectum, transferunt, vel ipsum Deum Autorem ac Creatorem peccati constituunt.

QVID AVTEM CAUSÆ EST,
quod Impij nominantur Semen Serpentis, (Genes: 3.) Filij Belial, (2. Sam. 23.) Progenies viperarum, (Matt. 3.) Filij Diaboli, (Ioh. 8. Act. 13.)
Si nouam illis physicam & substantialem
Formam Diabolus non
impresit?

Semen Serpentis sunt, I. Omnes Spiritus Apostata, qui, Impulsore Dracone, à Deo defecerunt. II. Peccatum, Mors, & infernus. Horum enim Monstrorum introductor est Diabolus. III. Omnes Pertinaciter impij, quos scriptura filios Diaboli vocat, non Creatione, sed corruptione & Imitatione. Consuetudo enim scripturæ est, ex Imitatione vel similitudine filios dicere. Cyril: lib: 6. In Iohan: cap: 6. Et ipse
Chri-

Christus, Ioh: 8. hoc innuit, ubi his verbis Iudeos
 compellat: Vos ex patre Diabolo estis, & cupi-
 ditates, seu desideria patris vestri vultis exple-
 re. Ideo Augustinus Tract: 42. in Iohan: dicit.
 Non nascendo, sed imitando ex patre Diabolo
 sunt, seu propter Maliciam Diabolicam, ut
 Chrysostomus explicat, Homil: 53. in Iohan: Et
 Epiphanius scribit, Her: 38. Christum, (Ioh. 6.)
 Iuda Proditori Nomen Diaboli tribuisse, non
 ob Naturam, sed Mentis perversitatem. Cur
 autem Baptista Pharisaicam sectam nuncupa-
 re voluerit Genimina seu progeniem viperarum,
 in promptu causa est. Etsi enim nunc aequè
 omnes hoc Veneno Aspidum infecti sumus, quod
 Originale peccatum dicitur, tamen illi ad eum
 prauitatis cumulum etiam addiderant crudeli-
 tatem atque Hypocrisin. Crudelitatem in Eccle-
 siam, Hypocrisin erga Deum & Homines. Quia
 imitabantur viperas in Ecclesia Matris perdi-
 tione: Et quemadmodum viperarum Natura
 est, Ruptis visceribus Matrum suarum nasci,
 & cum Morte illarum vitæ suæ usuram auspi-
 cari, Sic Iudæi assidue persequentes Ecclesiam,
 Matri-

DE PECCATO

Matricida sunt. Deinde vipers foris speciosas
& quasi pictas esse cernimus, cum intus Veneno
sint plene. Ita Pharisej pulchritudinem Sancti-
tatis ostendebant in vultu, & venenum Mali-
ciæ portabant in corde. Verba sunt Chrysostomi
Homil: 3. in Matth. lege eundem Homil: 11. in
Matth:

RECITA QUINTAM confutationem?

Verbum caro factum est, Iohan: 1. Id est,
Filius Dei assumpsit omnes partes Substantia-
les & integras Humane Nature, & quemad-
modum ab eterno ὁμοῦσι & est patri, Ita etiam in
tempore factus est ὁμοῦσις nobis, per omnia similis
fratribus, excepto peccato, Ebræor: 2. & 5. quod
ipsum, qui substantiam esse contendunt, totum
fundamentum Redemptionis nostræ euertunt,
& per illos non habebimus pontificem ὁσίον, ἀκακον,
ἀμίαντον, aut κενωρισμένον ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, Ebr: 7.
Sed impurissimum peccatorem, in labe Origina-
li conceptum & Natum, qui sua innocentia no-
stram immundiciem eluere non possit. Imo, si
post

post lapsum iam alia simpliciter, atque diuersa
 est, & tota specie, totoq; genere differt Natura
 Humana substantia, ab ea, quae ante lapsum fuit,
 non potuit Filius Dei assumere Naturam nobis
 consubstantialem. Verum enim uerò rectè canit
 Ecclesia: In Carne nobis similis, peccato sed dissi-
 milis. Et Theophil: Alexandr: lib: 1. Pascal: di-
 cit: Quicquid Humanae fuit Naturae & Condi-
 tionis, assumpsit λόγος, absque peccato duntaxat
 & Malicia **QVÆ NULLAM HA-
 BET SVBSTANTIAM.** Vnus enim
 & solus Christus est, qui Carnem Hominis ha-
 bere potuit, peccatum autem non potuit habere,
 inquit Augustinus, Tract: 84. in Iohan: Et
 suscepit pro nobis pœnam sine culpa, ut per ipsum
 consequeremur gratiam indebitam, sine meritis
 nostris, Idem lib: 4. ad Bonifac: Et, Nazianz:
 Homil: Paschal: Christus secundum omnia,
 præter peccatum, fit Homo, ex Virgine proгна-
 tus, carne simul & Anima purificata. Ambros:
 lib: 2. de Fide. Christus nostra substantia est, salua
 tamen incarnationis suae gloria.

K

Annè

DE PECCATO

ANNE CHRISTVS, IPSVM
Peccatum, & Maledictio, factus est, (Num: 21.
2. Corinth: 5. Galat: 3.) Quomodo igitur
constabit, peccati illum ex-
pertem fuisse?

Hanc obiectionem ij mouent, qui consulis
vndecunq³, ad Manichæismi stabilitiōem, ar-
gumentis, Iudaicarum etiam Blasphemiarū so-
cij tandem fiunt, ipsi Filio Dei in carne ex nobis
& pro nobis assumpta, peccati substantiam af-
fingentes, quod peccatum is atque execratio Fa-
ctus fuisse à Paulo perhibeatur. Sed Ambrosius
iam olim cauillum istud elisit, inquiens, cap: 16.
in 2. Corinth: Non Natura & operatione Chri-
stus Peccatum est factus, sed ut peccatum no-
strum in carne sua crucifigeret. Et vsitata scri-
pturæ phrasi, peccatum dicitur, hostia & Sacri-
ficiū pro peccato, Quia enim filius Dei, totius
Generis Humani peccata, in se unum concurrere
voluit, ideo tristissimas etiam Iusticiæ diuinæ
debitas sustinuit pœnas, & λύτῃα pro nobis persol-
uens, non aliter coram patre prostratus iacet, ac
sio-

si omnium Hominum sceleribus ipse sese polluis-
set, piaculum & κέθαρμα, in Iudicio Dei & omni-
um oculis factus. Athanasius & Chrysostomus
dicunt: ἐδέξατο κατάρμα. Theodoretus: κατάρμα ἔλαβεν.
Quo sensu innuitur, nostram Execrationem
Christum in se derivasse. Nazianzenus ait:
Audit αὐτομαρτία, καὶ αὐτοκατάρμα, sed non est, (Natu-
rὰ nimirum & operatione, iuxta Ambrosij
ὀρθοδοξίαν,) Quomodo enim sit peccatum, Qui nos à
peccato liberat? Quomodo Maledictum, Qui nos
à Maledictione legis redemit? Soli igitur filio
Dei servabatur sine delicto permanere, Tertull:
de præscript: Hæret. Omniaq; ille, quæ dura &
contumeliosa ipsi euenere, præter Meritum, &
sine omni sua culpa, nostro nomine, innocenter
pertulit.

QVÆ EST SEXTA REFUTA-
tio Fanatici erroris de Substan-
tia peccati?

Conciones pœnitentiæ à Prophetis & Apo-
stolis ita passim instituuntur, ut liquido inde ap-
pareat, Deum peccato verè irasci, peccatores au-

DE PECCATO

tem Resipiscentes paternè complecti, & noua illos luce, Iusticia, Spiritu Sancto, & vita aeterna donare, propter Christum. Reuertatur (enim) unusquisque à via sua pessima, & propitijs ero iniquitati eorum, Ierem: 36. Declina à malo, etc. Psalm. 34. Surge, qui dormis, & illuminabit te Christus, Ephes. 5. Abnegantes impietatem & Mundanas concupiscentias. Titum. 2. Refugite à corruptione, Ibid: Abstinete à carnalibus concupiscentijs, 1. Pet: 2. Deponite omnem Maliciam, 2. Pet. 1. Abijcite omnem Immundiciam, & abundantiam Maliciae, Iacob. 1. etc. Omnino igitur separabile Malum est, peccatum, ut Lutherus inquit, Genes. 38. Et in Renouatione Hominis, Spiritus Sanctus non in nihilum redigit Mentem, Intellectum, voluntatem & cor, nec infundit conuersis nouam Anima substantiam, sed vicium sanatur, Natura autem liberatur, commemorante Augustino, Serm: 30. in Epistol: Iohan: In Iustificatione etiam, persona recipitur in gratiam, Peccatum verò obsignatur, Daniel: 9. Tegitur, Psalm: 32. Projicitur in Abyssum Misericordiae Dei, & satisfactionis Christi

Christi, Mich:7. Seu post tergum Dei. Isa.38. Et cum *φιλάνθρωπος* ille pater Memoriam nostri presentem perpetuamque conseruet, ac cura nos, & benevolentia summa respiciat, fœditatem contra nostram, post Remissionem peccatorum, ex Animo suo eijcere prorsus, & obliuione aeterna obruere se velle testatur, sicut scriptum est: Peccatorum tuorum non Recordabor, Isa:42. Peccatorum non Recordabor amplius, Jerem:31. Quocirca ex agro & finibus Ecclesie pellenda sunt *τερατολογίαι*, quæ fingunt, inter substantiam Naturæ Humanæ & ipsum Peccatum, nihil penitus discriminis esse.

SED APOSTOLVS (Ephes:4.) IVbet nos exuere veterem Hominem, & Nouum induere, ergò forma substantiali priore abolita, in aliam rursus sensim conuertimur?

Ad has ineptias Augustinus pro nobis respondet, in enarrat. Psal:25. Ne quis arbitraretur, deponendam esse aliquam Substantiam, Exposuit Apostolus, quid esset, Exuite veterem Hominem,

DE PECCATO

minem, & induite Nouum. Quapropter, (inquit) deponentes Mendacium, loquimini veritatem. Ecce hoc est deponere veterem Hominem, & induere Nouum. Haecenus ille. Nequaquam autem in hac vita sic vetus Homo exuitur, ut nouo successore pulsus, omnino ex nobis emigret, sed veris pœnitentiæ exercitijs cohibetur atque frenatur quotidie, ne regnet petulanter in Mortali hoc nostro corpore. Roma. 6. Cum quidem vehementissimam carnis & Spiritus luctam vel sanctissimi quique in semetipsis experiundo nunquam non deprehendant. Et peccatum etiam credentibus in Christum remittitur, non ut non adsit, sed, potius ut non obsit. Sublato enim Reatu, Manet infirmitas: Si itaque substantiale quiddam est vetus ac Nouus Homo, lucebit iam in Renatis hic peregrinantibus Essentialis Imago Dei nouiter infusa, & simul etiam Diaboli effigies, Originaliter, & ἡ τῆς οὐσίας ipsis informatamanebit, nisi fortè cum Donatistis aut Manichæis Veterem quis exosus Hominem, Manus sibi inferre ipse, & crudelissimus,

mus, in proijcienda corporis & Anima sua salute, fieri velit parricida.

AN VERO NIHIL SVBSTANTIARIAE transmutationis, ex Metamorphosi illa admittes, quam Scriptura nominat, ubi de Renouatione Hominis concionatur. Paulus enim inquit, Roman. 12. μεταμορφῶσθαι per Renouationem Mentis vestrae. Et, 2. Cor. 3. μεταμορφούμεθα in eandem Imaginem, ex gloria in gloriam?

TOTIVS huius doctrine caput est, quòd Natura nostra substantia facta est peccatrix, non peccatum, ut Augustinus monet, lib: 2. Contra Petilian: Et Cyrillus lib. 1. in Ioha: cap. 9. preclare dicit, In creatura nihil Substantialiter esse, quod à Creatoris dono non defluat, quodque in Creatoris gratia non habeat Radicem. Proinde, cum peccatum non sit ex Deo, Substantiam ei affingere, Nemo, nisi contemptor Dei, volet. Hac sententia fundamenti loco posita, & probe considerata, proclive fuerit iudicare, in quam Metamorphosin Testimonia illa scripturae dignum

DE PECCATO

tum intendant, quòd lectori attento obscurum,
esse minimè potest, Transformationem Spiri-
tualem duabus rebus opponi, secularibus vide-
licet desiderijs, & Terroribus Legis. Nam con-
uersis ad Deum, hæc pietatis cura incumbit, ne
carnis voluptates, quæ semper famem sui post se
relinquunt, ita nunc, ut ante participationem
gratiæ diuinæ, sectentur, sed Mundo potius in-
niuersum renuncient, & solius Dei voluntatem
in verbo patefactam, pro scopo sibi ante oculos
statuant, & sanctè viuendo exprimant. Ea
enim est in Spiritu Mentis Renouatio, aut
cælestis illa & sancta Metamorphosis, quæ Deo
conformes reddit affectus, & ab illius nutu solo,
nos pendere, & in ipso sapere ac viuere facit.
Deinde ad Imaginem etiam & gloriam Christi
μεταμορφώμεθα, quando immensam Paternæ Mi-
sericordiæ amplitudinem in Christo propositam,
Fide amplectimur, & à Rigore legis prouoca-
mus ad Euangelij ^{επιεικειαν}, cuius claritas non
terret ac damnat, sicut fulgor Moysis, sed reficit
atque viuificat, ut Spiritu Sancto monstratore
vulnerum nostri Seruatoris donati, sentiamus
initia

initialia leticia ac vita Æterna, & noua subinde
 luce magis magisque irradiati, à gloria Fidei tra-
 ducamur ad gloriam presentis conspectus Dei,
 & beatæ perfruitionis omnium bonorum cæle-
 stium, quorum etiam pars futura est corporum
 nostrorum conformitas cum corpore Christi, qui
 in monte quoque Transformatus coram discipu-
 lis, non Naturæ Substantiam perdidit, Sed splen-
 dorem illi addidit, & dignitatem planè stupen-
 dam, Matth: 17. Luc: 9. Nam & eo loco voca-
 bulum *μετεμορφώθη* positum est, de gloria, qua cor-
 pus suum Filius Dei circumtextit, quanquam
 in corpore manens, Naturam assumptam nun-
 quam deponit.

ECOVAS PRÆTEREA ALIAS

id genus demonstrationes eius falsitatis
 producere potes?

Dies me deficiat, si omnia Scripturæ in hanc
 rem Argumenta persequi prolixè velim, ideo ad
 compendium Reliqua nunc conferam, & quàm
 breuissimè poterò, conabor exponere.

Idem enim, comprobant querelæ & pre-
 L. catio-

DE PECCATO

cationes Sanctorum in hac vita, & carnis denique nostrae Resurrectio ad futuram vitam.

Querela Sanctorum sunt: Peccatum meum coram me est semper, Psal: 51. Confitetur autem Psalmista non Actuales saltem exorbitationes, quales erant, violatio alieni thalami, & Homicidium coniunctum cum Hypocrisi, sed Originale etiam illud omnis iniquitatis Seminarium toto pectore deplorat. Quis potest dicere, purus sum à peccato? Prouerb: 20. Si dixerimus, peccatum non habemus, Nos ipsos fallimus, 1. Ioha: 1. Habentes autem peccatum, Non sumus peccatum.

Deinde preces piorum, quibus petunt liberari & absolui à peccato, fidem atque auctoritatem nostrae sententiae adiungunt. Psal: 51. Ab occultis meis munda me, Matth: 6. Remitte nobis debita nostra. Luc: 18. Esto propitius mihi peccatori. Non enim inquit, Mihi peccato.

Postremò de corporum nostrorum Resurrectione quod dixi, manifestius est, quàm ut documento aliquo apud Christianae professionis Homines opus habeat. Peccatum enim non Resurget,

surget, sed in carne mea videbo Redemptorem meum. Hiob: 19. Ossa arida audite verbum Domini. Ecce ego intromittam in vos Spiritum, & viuetis, Ezech. 37. Et in Symbolo Nicæno credimus Resurrectionem Huius carnis.

CVR VERO SCRIPTVM EST,

(1. Corinth. 15.) Caro & Sanguis non possidebit regnum DEI?

Caro & Sanguis ut in Regnum Dei ingrediatur, non Natura sua Substantiam exuet, sed corruptionem ac mortalitatem, vestita nouæ claritatis, Iusticiæ, ac vitæ nunquam desitura gloria. Ideò Augustinus de Donatistis, Et Irenæus lib: 5. de Valentinianis ac Marcionitis perperam hunc locum Apostoli intelligentibus pronunciant, Vel isto etiam nomine Hæreticos eos esse, quòd dicerent ac docerent, plasmationem Dei non saluari. Et Macarius inquit: Homil: 15. Petrus erit Petrus, & Paulus permanebit Paulus, quisque in sua propria Natura ac Substantia, Spiritu Repletus.

L 2

Num

DE PECCATO
NUM IGITUR, HOMINIS
Natura, & peccatum in ea, post lapsum nunc
haerens, ita distinguuntur, ut hoc per se quidem
malum esse perhibeatur, illa nihilò iam mi-
nus etiam, bona, incorrupta atq; in-
tegra permanente?

Ab hoc Pelagianorum veterum atque re-
centium delirio, quanto opere abhorreamus supe-
riorum questionum capita, disertè ostendunt.
Neq; enim alienum quiddam à Natura nostra
est peccatum, in quo nati & concepti sumus.
Psal: 51. Ideò sic à Davide definitur, quòd sit cor-
ruptio omnium virium, interiorum & exteriorum,
adeò ut nullum Membrum ita nunc offi-
cium suum faciat, sicut in Paradiso, ante pecca-
tum, referente Luthero, Quarto Tom: Ienen:
fol: 378. Et tamen Dei hic opus non confunden-
dum est, cum depravatione illa horribili, cuius
Autorem, Diabolum esse, ex verbo Dei didici-
mus, Genes: 3. Iohan: 8. 1. Ioha: 3. Et Muliebri
tandem sexui, quantarum consolationum fontes
obstruentur, si non Naturæ suæ partem à Deo
con-

conditam, sed ipsius Sathanae effigiem essentialiter formatam, in utero suo gestare, & in lucem tandem editam, diligere atque fouere sanctas etiam Matronas credere iubeamus, contra tot Scripturae testimonia, quae generationem ac Nutritionem vel hodie quoque inter prima atque praecipua dei beneficia numerant, sicut videre est, Isa: 35. 45. 46. Job: 10. 31. Psal: 139. etc, Nec praeter Animae ac corporis Substantias Tertiam in Homine agnoscimus, cum ipse Filius Dei duas tantum illas nominet, Matth: 10. Et Tertullianus lib: de Resur: Car: dicit, Hominem ex duabus Corporis & Animae substantijs conserutum esse. Quin & hoc in professo est, Aeternum $\alpha\omicron\gamma\omicron\pi$, non peccati alicuius ex nobis Substantiam, sed corpus solummodo & Animam voluisse assumere, Et ipsius Sanguis non à Carne & Anima nos liberat, sed à peccato, 1. Iohan: 1. Et in Iustificatione ac Renouatione, Natura nostrae exuias retinemus, Peccatum autem remitti, atque expurgari credimus. Deinde in oratione Dominica non petimus abolitionem substantiae corporis, quae bona est, sed viciorum carnalium, unde

DE PECCATO

non eripitur Homo sine gratia Salvatoris, nec quando per Mortem corporis discedit à corpore, teste Augustino, de Natura & Gratia, cap. 53. Eadem Ratio est ceterarum etiam doctrinae Catecheticae partium, ubi non Baptisatur, & absoluitur peccatum, Sed Homo peccator, neque Peccatum vescitur corpore & Sanguine Christi, sed caro fidelium hoc cibo ac potu alitur. Irenaeus lib: 4. cap. 34.

QUAenam CREATURAE sunt peccato contaminatae?

Aliquot Angeli & Homines uniuersi. Nam magna Multitudo Spirituum sua sponte à Deo defecit, & capit ardere immàni odio Dei, & omnium operum Diuinorum, quorum destructione & confusione furenter letatur. Impulit ergò Diabolus primos quoque parentes Humani generis, ut se à Deo auerterent, & posteritatem suam in aeternum secum traherent exitium.

Ubi

ORIGINALI. 44
VBI CONCIONATUR SCRIPTURA
de lapsu Angelorum?

Causam impulsivam, Modum, atque momentum horrenda & atrocitas in precipuo hoc creaturarum flore, etsi scripta Prophetica & Apostolica, quae sunt Epistola Dei ad Homines, non exprimunt, longè tamen gravissimum illud scelus fuisse, non obscurum esse potest.

I. Ex coacervatione testimoniorum, quae exstant, Iob: 4. In Angelis suis reperit pravitatem. Luc: 10. Spectabam Sathanam, ut fulgur de caelo cadentem, Iohan: 8. Diabolus est Homicida ab initio, & in veritate non stetit. Item: Cum Mendacium loquitur, ex proprio loquitur. Prior enim peccavit Diabolus, & quidem proprio motu à nemine accensus aut persuasus. Cyrill: Hierosolymit: Catech: 2. Non ex Necessitate Naturae, vicium suscepit, sed propria voluntate factus est ex Angelo Diabolus. Chrysostom: Homil: 15. in Genes: Ob Maliciam excellentem & Spontaneae voluntatis nequiciam, cecidit. 1. Iohan: 3. Diabolus peccat à principio, scilicet, non Creationis

DE PECCATO

tionis Origine: Sed prauaricationis inchoatione, quemadmodum Hilarius orthodoxè explicat. Et Petrus inquit, 2. cap. 2. Angeli peccauerunt. Et Epistola Iudæ. Non seruata Origine sua, reliquerunt domicilium suum.

II. Ex consequentia seducti Hominis, cui tanquam Angelo terrestri felicitatem suam inuidit Angelus, iam non cælestis, Sed infernalis, referente Chrysof: Homil: 15. in Genes: Ipse enim cadens ad Ruinam traxit multos, Cyrill: Hierosol: Catech: 2. Nec satis fuit Spiritibus perfidis, Desertores Dei fieri, nisi & nostri fierent deceptores. Augustin: Tract: 110. in Iohan: Ideo scriptum est, Genes: 3. Serpens erat callidior omni bestia, etc. Et, Sap: 2. Inuidia Diaboli Mors intravit in mundum.

III. Ex perpetuo & implacabili aduersus Deum, & Ecclesiam, liuore, odio, bello, studijsq; ac desiderijs ad omnium Hominum perniciem sollicita vigilantia attentis, nocendique consilijs & artibus, quas omnes æquè callent, astutissimis. Nam plures student videre sui similes, & in eo habent gloriam, quòd multos fecerint perditos, ut

tos, ut inquit Ambros: Sermon: 1. in Psalm: 119.
 Nunquam igitur tentare, insidiari, sœuire, fre-
 mere ac furere cessant. Et nominatur eorum,
 circumcursatio, & propinquitas, Iob. 1. Zach.
 3. Luc. 8. ἐπιδουμια. Iohan: 8. Ignit atela. Ephes: 6.
 Vigilia & obambulationes semper erecta in
 ἀνολεθρία Christiani Nominis & sanguinis,
 1. Pet. 5. Ejaculationes aquarum ex ore Serpen-
 tis, ad inuoluendam & suffocandam Mendacijs
 accedibus Ecclesiam, Apoc: 12.

IIII. Ex Catalogo multorum Execrabilium
 appellationum, quibus Machinationes ista ve-
 lut in tabula nobis conspicienda ob oculos ponun-
 tur, Sunt enim Spiritus Nequam. 1. Samuel: 16.
 2. Sam: 23. 1. Reg: 22. Pessimus. Iudic: 9. Immundi,
 Zach: 13. Matth: 12. Luc: 11. Diaboli, Matth: 4.
 15. 25. Ephes: 4. 1. Iohan: 3. 2. Timoth: 2. Iacob: 4.
 Sathana, 1. Paral: 21. Zach: 3. Luc: 10. 22. 1. Thes.
 2. Roman: 16. Leones & Dracones, 1. Petr: 5,
 Apocal: 12. Leones in impetu, Dracones in insi-
 dijs, Augustin: Psal: 69. Et hæc omnia ferè sin-
 gularitatis Numero scriptura eloquitur, Ut sub
 uno nomine totius colluuij societatem arctissi-

M mam,

DE PECCATO

*nam, & vinculum perversitatis indissolubile,
intelligas, Matth:12. Luc:11. & Job:40.*

*V. Ex severitate iudicij Divini, non par-
centis huic Creature sicut Hominibus. Nam,
Diabolis paratus est ignis aternus, Matth:25.
tanquam principibus abscessionis, ut Irenæus
ait, lib:3. cap:35. Angelos peccatores in Tarta-
rum detrusos, catenis Tenebrarum Deus tradi-
dit, Damnationi servatos, 2. Pet:2. Proiectus est
Draco ille Antiquus de cælo, Ubi non amplius
ei locus est, Apoc:12.*

*Sed abrumpamus tandem hanc telam, quòd
Angelorum Ruina, ad Actualium potius pecca-
torum classem referenda sit: Et quia ipse Spiri-
tus Sanctus non dignos eos habuit, de quorum
Turpitudine prolixas institueret Narrationes,
nos quoq; iam deinceps ad alia commodius pro-
grediemur.*

SVNTNE IGITUR OMNES

nunc Homines origine atq; propagatione

Hæreditaria peccatores?

Omnes in uniuersum, nemine excepto, nisi

uno

uno & solo Christo, quem pater signavit, Ioha:6. ne contunderetur cum genere Humano, sed ut per Eum liberaretur Genus Humanum, ita interpretante hunc locum Augustino, Tract:25. in Iohan: Et Christus quidem est Agnus sine macula, Exod:12. Iohan:1. Sanctus Sanctorum, Daniel:9. quem nemo de peccato arguere potest. Ioh:8. etc,

VNDE PROBATVM FIT,

omnes Homines, post Adæ lapsum, peccato obnoxios esse?

Multa ad hoc Argumentum facientia, & attigimus supra, & explicuimus mediocriter. Hic igitur satis habebimus, breues magnarum rerum ostendere, & pertinent cum primis ad confirmationem propositæ sententiæ, capita, quæ sequuntur.

I. Notatio impuri fontis, unde nostra Origgo existit. Ab Adam enim propagatur Natura Rea, habens peccatum, & morti subiecta, Genes: 4. 5. Rom:5. 1. Corint:15. Augustin: de Baptismo perunlorum. Adam occulta tabe carnalis con-

DE PECCATO

cupiscentia sua, tabificauit in se omnes, de sua stirpe venturos. Demisit nos in corruptionem, Cyrill: Alexand: de Recta Fide ad Regin.

II. Prædicationes uniuersales, quæ in omnes promiscuè digitorum intendunt, Psal: 14. Omnes corrupti sunt, & abominabiles facti, Psalm: 118. Omnis Homo mendax, Isa: 53. Omnes, velut oves, errauimus, Isa: 64. Omnes nos, tanquam immundum sumus, Syr: 8. Omnes in corruptione sumus, Rom: 3. Omnes peccauerunt & carent gloria Dei, &c. Præclare itaque Augustinus lib: 13. de Ciuit: Dei, Qui negat, inquit, Se peccatum habere, nõ hoc agit, ut peccatum non habeat, Sed ut veniam non accipiat.

III. Fructus peccati Originalis, seu internarum & externarum Actionum fœditas atq; fœcunditas tanta, ut ipse etiam Gentiũ Doctor, Omnia omnium scelerum Nomina, Catalogo quantumuis bene longo vix potuerit enumerare, Rom: 1. Ex infinitis autem pauca sunt. Inquietudo cordis, semper aliquid mali parturiens, Maior cura placendi Mundo quàm Deo, Fiducia Humanorum presidiorum, flagitiosa Trepidatio

tio

tio ac desperatio, in amissione visibilium auxili-
 orum, aut in obiectione contrariorum, Epicu-
 raus contemptus Dei, φιλαυτία coniuncta cum im-
 patientia & indignatione summa, Idolomania,
 Regina omnium viciorum, Blasphemia & Exe-
 crationes, Negligentia & curiositas in officijs
 vocationum, ἀσοργία, emulationes, inuidientia
 flammæ odiorum, Ira effrenis, ardor vindictæ,
 Neroniana crudelitas, Centaurica superbia,
 Mactationes Hominum ad aras, ἐπιχαίρεκακία, æ-
 stus & immundicia vagarum libidinum, quas
 Ethnici miscuerunt Sacrificijs, certamina vo-
 luptatum ac Turpitudinis in cultibus, Maximo
 Deo ventri, præstandis, Cynica impudentia,
 Thraſonica & Sodomitica gloriatio de successi-
 bus prauitatis, Mendacia, Calumnia, Sycophan-
 tici Morsus, Artificia prætextuum in dictis &
 factis culpabilibus, inuolucra multarum simu-
 lationum in tota vita, fastidium præsentis fortu-
 næ, & inexplebilis opum, atque potentia cupi-
 ditas.

In istos igitur & similes Peccati heredita-
 rij flosculos ac fructus pro se quisq; intuens, seriò

DE PECCATO

7A
 cogitet de morbo sua, & omnium Hominum
 Natura, que vera confessione non falsa defensio-
 ne opus habet, Ut rursus verba Augustini alle-
 gem, ex lib: de Natura & Grat: cap: 53.

III. Obœdientia, Mors & Satisfactio
 Christi, qui omnibus natus & datus est, Isa:9.
 Iohan:3. Omnium nostrum peccata concurrere
 in illum Deus fecit, Isa:53. Pro omnibus nobis
 tradidit eum pater, Rom:8. Unus pro omnibus
 mortuus est, 2.Cor:5. Iustus pro iniustis, 1. Pet:3.
 Et ipse est propiciatio pro peccatis totius Mun-
 di, 1.Iohan:2. Ingens ergo hoc & commune ^{λύτρον}
 etiam de communi omnibus peccato Originis nos
 commonefacit. Sumus enim empti precio verè
 magno, quod non est Aurum vel Argentum, sed
 ipsius filij Dei corpus & sanguis, Actor. 20.
 1.Corinth:6.7. 1.Petr.1. 1.Iohan:1. Nec poterat
 tanta molis lues portari atque auferri, nisi per A-
 gnium Dei, Iohan:1. qui peremptus est, Sed non
 diremptus, sicut Cosmas Hierosolymitanus in-
 quit (ἀνιρέθης, ἀλλ' οὐ δινιρέθης) Et Christi passio, per
 quam nobis procuratur Remissio, non est Homi-
 nis puri, Sed Dei incarnati. Propterea sacrifici-
 cium

cium illius bene fragrat, Ephes. 5. Et Redemptio ab ipso facta copiosa est, atq; Aeterna, Psal: 130. Ebr. 9.

V. Institutio & conseruatio Ministerij Ecclesiastici, quod omnibus & non aliquibus saltem Hominibus, in nomine Filij Dei, pœnitentiam annunciat, & Remissionem peccatorum. Luc: 24. Super omnem carnem Revelatur ira Dei, Rom: 1. Et omnes gentes Christus vult doceri de consolatione Euangelica, & Baptisari in Remissionem peccatorum, Matth: 28. Mar: 16.

Jam & hic facilis Raciocinatio est, cum conciones iræ & gratiæ, omnibus generaliter proponende sint, ut ad conuersionem salutarem inuitentur omnes, neminem prorsus esse, qui gentilicia illa non sit infectus labe. Deus enim purgari Homines à peccatis maxime cupit, ideoq; pœnitentiam eos agere vult, Lactant. lib: 6. de vero cultu, cap. 13.

VI. Priuata testimonia conscientia singulorum, qui Diuine increpationis tuba excitati tandem, aut concursu calamitatũ obruti, & cubiculũ proprij cordis, exploratione accurata, ingressi,

DE PECCATO

gressi, Mucronem peccati & vulnera inde facta, perpetua saniej fluxu tabida, circumferre se agnoscunt, gementes ubertim ac dicentes. Non est pax in ossibus nostris, Psal:6. Iniquitates nostra supergressae sunt caput nostrum, Psalm:38. Nunc ad portas inferorum descendendum est nobis, Isa:38. Nobis domine confusio, Daniel:9. Et conscientia nobis indita est accusatrix perpetua, qua nos interturbat, laniat, flagellat, & nunquam quiescit, sed & domi, & in foro, & in Templis, & in Mensa & dormientem & surgentem adoritur, atq; ob oculos ponit & peccatorum gravitatem, & subsequitur am poenam, Chrysof: Homil:17. in Genes. Nec fugit se ipsam mala conscientia, Sed peccatum quod fecit intus est, sicut ad Semei inquit Rex Salomo, 1. Reg. 2. Conscium est tibi cor tuum omnis mali, quod fecisti patri meo.

VII. Stipendium peccati, Mors ipsa, Rom. 6. Et Potentia ac furor Diaboli, à quo Misera haec Natura, tanquam paries inclinatus, & Maceria impulsam rabiosissime urgetur, & omnes omnium calamitatum Epitases summa contentio-

tentione excitantur, quæ sunt admonitrices de
 Ira Dei aduersus peccatum, cuius magnitudi-
 nem, præter alia Ærumnarum diluuiâ, patefa-
 ciunt, Tot horrenda corporum Humanorum à
 spiritibus immundis partim obessorum, partim
 unâ cum Animabus abreptorum aut Iugulato-
 rum quoq; Tragediâ, Tot Regnorum etiam ac
 Rerumpublicarum Ruinâ, Tot Bellorum con-
 fusiones, ubi iusticia contumeliam, & pudicitia
 vim patitur, salus autem in dubio est, & facul-
 tates omnium prædâ exponuntur, Tot deniq; tri-
 stia spectacula pestilentia ac Famis, qua, post
 coctas sæpè à Matribus liberorum carnes, & de-
 cimatas quandoq; legiones, interiisse aliquem res
 una miserrima longè est. Omnino igitur graue
 Iugum super filios Adæ, iam inde ab utero Ma-
 tris, donec sepeliantur in Terra, Syr: 40. Et qua-
 nam est vita nostra? Vapor nempe est, qui ad
 exiguum tempus apparet, & deinde evanescit,
 Iacob: 4. Seu ut Augustinus ait, lib: Meditat.
 Cap: 21. Vita hæc, vita caduca, vita incerta, vi-
 ta laboriosa, & immunda, vita Domina Ma-
 lorum, Regina Superborum, plena afflictionibus.

N

E

DE PECCATO

Et Erroribus, quæ non est vita dicenda, Sed Mors, in qua momentis singulis morimur, per varios mutabilitatis defectus, &c.

AT PAVLVS INQVIT (Rom:5.)
Per unius inobædiæntiam multos esse constitu-
tos peccatores, Ergò aliquos saltem ab hoc
Numero exclusit, qui non sunt
peccatores?

Multos cum dixit Apostolus, totam mul-
titudinem generis Humani intellexit, eadem
prorsus ratione, qua Christus ait, Matt:20. Se A-
nimam suã tradere pro multis, id est, pro uniuersa
multitudine posteritatis Adæ. Ideo rectè adno-
tauit Sedulius, Paulum eodẽ loco ac sensu nomi-
nasse omnis ac Multos. Nec confestim ad unius
vocale obiectum innumeræ uniuersales particu-
le sunt restringende, Sed pauciora potius acci-
pienda veniunt generaliter, secundum plura,
Et quæ clariora esse videmus, lucem illa
obscurioribus etiam adferre
non inuiti patia-
mur.

SI NULLO PRORSVS DISCRI-
mine omnes æquè Homines originaliter peccato-
res censentur, cur Filius Dei, (Luc: 15.) Iustos
quosdam nominat, pœnitentia non indigentes,
sine qua tamen Nemo ex peccatori-
bus indulgentiam à Deo
consequitur?

Respondeo per distinctionem, Duplicem esse
Iusticiam, Hypocritica & persuasionis, et Divina
donationis. De priori concionatur hic Christus
apud Phariseos sanctulos, quibus Iustorum ap-
pellationem tribuit, & pœnitentia eos minimè
opus habere inquit, non, quòd verè tales essent in
conspectu Dei, sed propria confidentia fastu
istiusmodi quidpiam sibi arrogabant, Luc. 18. Et
propter externa disciplina umbram, & multa-
rum ἐδολοῦρησκειῶν expletionem, contemptis præ se
& contumeliosè habitis cæteris Hominibus, ad-
modum efferebantur, & Messiam exhibitum
nihil prorsus faciebant, Matth. 6. 9. 15. 23. Luc. 10.
18. 19. Ioh: 5. 6. 7. 8. 9. 10. Ideò καὶ ἀντίφρασιμ Iusti, si-
cut & Matth: 9. εἰσωνεικῶς sani, nominantur, qui
N 2 sua

DE PECCATO

sua opinione, Medico cœlesti non indigerent, ut Augustinus in questionibus Evangelicis, Hilarius, Cano: 9. Matth: & Chrysostomus Homil: 31. in Matth: explicant. Illos igitur Imaginarios Iustos Christus relinquit in deserto, ut pereant in Iusticia sua, Eccles: 7. non quia iusti sunt, sed quia Iusti sibi esse videntur, quemadmodum Hieronymus interpretatur. Quia somniant, se manducare, bibere, saturari, cum interim Anima eorum maneat vacua, Isa: 29. Iactitant diuitias operum, & ignorant, quam sint Miseri & Miserabiles, pauperes, cœci, Nudi. Apoc: 3. Sectantur Iusticiam suam, & iusticia Dei non fiunt participes, Rom: 10. Hæc enim est altera illa, vera & Sancta iusticia, quam David admirabilem vocat, ob Mysterij arcani sublimitatem, Psalm: 65. Paulus autem Dei Iusticiam nominat.

I. Quia est æternum consilium & Decretum Dei, Isa: 53. Apocal: 14. de Reparatione generis Humani per Christum, in quo nos dilexit atque elegit pater, antequam iacerentur fundamenta Mundi. Ephes: 1.

Quia

ORIGINALI.

51

II. *Quia est Meritum filij Dei, pro nobis incarnati, crucifixi, Mortui, & resuscitati, Rom. 3. 4. 2. Corinth. 5. Galath. 3. 1. Iohan. 1.*

III. *Quia Beneficio Dei, per vocem Evangelij, nobis reuelatur atque offertur, & à Spiritu Sancto in nobis per fidem obsignatur, Psalm: 19. Isa: 64. Iohan: 1. Romanor: 10. 2. Corinth: 5. 1. Tim. 3.*

IIII. *Quia placet Deo in credentibus, & ipsius Ira atque Iudicio sola rectè & tutò opponitur.*

Gregorius & alij interpretantur Nonaginta Nouem Iustos ex Luca, de cœtu castorum Angelorum, quibus relictis, Filius Dei ad quærendos & saluandos nos misellos vermiculos sese demiserit. Sed non ubiq; opus habet Allegorijs sermo Diuinus, si Epiphanio credimus, Hæresi, 61. Nec necesse est, in parabolis, ut omnia ex omni parte & modo intelligantur esse similia, iuxta Regulam ab Augustino traditam, lib.

16. contra Faustum,

Cap: 15.

N 3

Quid

DE PECCATO

QV^{IA} SOLVTIONIS PORRO

adferes ad dictum Christi, Iohan: 9. Ubi de cæco
ait: Neq^{ue} iste peccauit, neque parentes eius,
Omnino igitur quosdam non pecca-
tores esse, fatearis
oportet?

Concio Christi est dulcissima ^{ἐπιείκεια} Euan-
gelij, opposita seuerissimo Iudicio Legis, ex qua
didicerant Apostoli, nullum peccatum abire im-
punitum, & Deum etiam vindice dextra, ple-
tere Maiorum, vel sera in stirpe, furores, Exod:
20. Proinde legaliter ratiocinabantur, Aut sua,
aut parentum culpa cæcitatem ei Homini diui-
nitus inflictam fuisse. Nec potest Ratio aliter sta-
tuere, quam plerumq^{ue} calamitates esse signa Rea-
tus, & ultionis Diuina Argumenta longè certif-
sima, Sicut Melitenses ex vipera, mordicus ap-
prehendente manum Pauli, coniectabant, Ho-
micidam ipsum esse, Actor: 28. Sed Christus re-
spondet Euangelicè, Neque hic peccauit, neque
parentes eius, id est, Etsi & ille, & qui eum ge-
nerunt, non carent labe Originali, cui postea
etiam

etiam in tota vita aliquid peccatorum addiderunt, tamen hac cæcitas non est pœna certi delicti, Nec semper Testimonia Iræ Dei sunt externa corporum plaga, sed alia alias ob causas pijs quoq; imponuntur. Ideò in Ecclesia non ex fortuna diuersitate, Sed ex promissionibus gratiæ faciendum est Iudicium de fauore aut odio Dei, qui perigrinum sæpè opus agit, vt suum deinceps eò commodius exordiri possit, Isa: 28. Mortificat enim, vt viuificet, deducit ad inferos, vt reducat, pauperes facit, vt ditet, humiliat vt exaltet. 1. Sam: 2. Ose: 6. Plura in hanc sententiam, post Augustini & Chrysostomi expositiones, videre licet apud Cyrill: Alexand: lib. 1. in Iohan: cap: 9. & lib. 6. cap: 14. Item, lib: 6. Decalog: de Trinitate.

Non igitur simpliciter Christus peccatum negat in Cæco, & Progenitoribus illius, sed consequentiam peccati talem negat, qualem Apostoli siscitabantur.

Quid

DE PECCATO

QVID AVTEM DE MARIA

virgine ^{θεοτόκος} hic sentis? Et num eam quoque
peccati Originalis legibus subiectam
fuisse affirmabis?

Lucerna confessionis nostræ sit verbum
Dei, non opinionum Humanarum libertas, quæ
ex fide perfidiam facit, & multa ^{δυσφημια} cumu-
lat, sicut apparet ex canonibus Synodi Tridenti-
na, Ubi Romani Areopagita, Filij Dei Domi-
ni nostri Iesu Christi Matrem, à necessitate pec-
cati Originalis planè absoluunt, productis ad
eius sententiæ stabilitationem non Scripturæ Testi-
monijs, quæ nulla extant, sed Sixti Quarti consti-
tutionibus, Antichristo dignis.

Nos vero dijudicationem tam audacis
Decreti, ex fontibus Israelis, ad fidei Christianæ
^{εὐαλογίας}, breuiter instituemus, ut primo quidem
loco hunc dignitatis gradum in Maria, reue-
renter credendo agnoscimus, & constanter præ-
dicando celebramus, quod per Organum illud,
ante omnem eternitatem à Deo electum, datus
est toti Mundo, Saluator Mundi, & Semen Be-
nedictum,

nedictum, ex Benedicta praecunctis Mulieribus
genitrice, Luc: 1. 2.

II. Intemeratam Mariae virginitatem ex
ore Dei nobis traditam uti accepimus, ita cum
Ecclesia quoque Orthodoxa, pio & Sancto con-
sensu eam asseueramus, Isa: 7. Mat: 1. Luc: 1. Alij
enim nupta fuit, ab alio autem repleta. Ambros:
lib. 2: in Luc: Et conceptum virginis Spiritus,
non Caro, Fides, non libido praue nit. Credendo,
non concumbendo foecundata est virginitas.
Augustin: lib: 13. de Trinit: Cap: 18. Huc perti-
nent versiculi eleganter & Sapienter scripti:
Partus & integritas, discordes tempore longo,
Virginis in gremio foeder a pacis habent.

III. Virginis etiam Corpus, ex quo libera-
tor ^{θεοῦ υἱος} nobis prodiit, diuinitus antea san-
ctificatum fuisse, & religiose didicimus, & li-
benter profite mur. Ex carnis enim eius Substan-
tia, Naturam Humanam ^{λόγος} assumpsit, non
tamen de peccati propagine, ut Augustinus in-
quit, Tract: 79. in Iohan: Sed ex virgine progna-
tus est, Carne simul & Anima prius, per Spiri-
tum Sanctificata. Gregor: Nissen: Homil:

O

Pa-

DE PECCATO

Paschal: Et Cyrillus Alexandrinus ad Nestorium & Successum repetit, λόγον suscepisse sacratissimam suam carnem, ex sancta virgine.

IIII. Ceterum ex hisce prerogatiuis nequaquam Dogma illud ἀγσαφορ extrui potest, Originaliter etiam omni labe prorsus caruisse Mariam. Imò cum Deus voce sua legis omne os obturet, & totum mundum condemnationi obnoxium esse clamet, Roman:3. Quomodo sola Maria os suum in cælum ponendo, dicere presumpisset? Mundum est cor meum, Proverb:14. Nec leuia certè σφάλματα sunt, quæ de virgine hac, nunquam alioquin satis laudata, Spiritus Sanctus passim commemorat, ubi & curiositatem eius à Christo reprehensam acriter, & legationis etiam Angelicæ Mysterium scrupulosè ab illa exagitatam fuisse legimus. Quanquam enim Bernhardus Homil:4. Super missus est, post Augustinum, ita hoc excusat, ut, non de facto eam dubitasse, sed Rationem tantum facti inquisuisse dicat, quàm frigidum tamen id sit, ex orthodoxis Nemo non videt. Quocircà ipse tandem Bernhardus, Epistola 174. multis Argumento-

mentorū Arietibus conceptionis Mariae festum diem oppugnat, ac disertè affirmat, Assertores nouæ opinionis, de puro virginis exortu, non honori eius detrabere. Et Faustus Episcopus scribit, non in suo illam sed Christi conceptu fuisse sanctificatam.

Hec uti plana atque perspicua sunt, ita ^{τετραλογία} Pontificiorum luculentè refutant, & Inuocationem Mariae, ex pomœrijs Ecclesiæ rectè exterminant. Nam reuera quidem Sanctum erat corpus Mariae, non tamē Deus erat: Et cum Angeli non sint adorandi, quantò minus illa, quæ genita est ab Anna? Epiphani: Hæc: 79.

ATQVI EX SANIORIBVS
Ethnicis non pauci fuere, qui multarum virtutum choros duxerunt, & iusticiam cum primis atque Modestiam sectati, præclarissimum Honestatis specimen de se præbuerunt, corruptionis igitur vicio vel illos tandem eximas, necesse erit, cum ex impuris fontibus puros riuulos Natura vix producat?

DE PECCATO

Ad hanc contradictionem iam olim pro nobis ipse Christus respondit, ubi Mala Arbori malos etiam assignavit fructus, Matth: 7. & 12. Et Hieronymus in fundamentum istud intuens, Epist: ad Cellen: ait. Aliud est virtutem habere, & aliud, virtutis similitudinem. Aliudque est item, Rerum umbras sequi, & aliud Res ipsas.

Haudquaquam sanè pulcherrimam illam disciplinam, ad cuius Hesperum atque Luciferum, mores suos studiosè quidam composuerunt, & Baravisæ, aut sine discretionem repudiamus, cum & Deus seuerè illam exigat, & Magistratus politici Autoritate, etiam extra Ecclesiam, violatores publicæ tranquillitatis & Honestatis, coërceri velit, qua ipsa de causa, multis Heroicorum motuum dotibus, ad constituenda imperia gubernatores ornat: Et est præterea in alijs quoque Hominibus, post Naturæ huius labefactionem, Reliqua lux Rationis, de discrimine aliquo virtutum ac viciorum: Neque in externis Actionibus, ad hanc vitam pertinentibus, liberi Arbitrij viribus in uniuersum destituimur, sed
nihilò

nihilò tamen minus istiusmodi infidelium opera, quantumvis in speciem, egregia et splendida sint, coram Deo reprobata fiunt, atq; execrabilia.

I. Quia proficiscuntur ex Natura, horribiliter viciata, quæ est hostis Dei, & teterrimo Reatu abominabilis. Proinde Hostium dona non sunt dona, Nec est, qui faciat bonum, Psal: 14. Scilicet ex Hominibus, ad Deum non conuersis. Et victimæ impiorum damnatae sunt, Prouerb. 15. 20.

II. Quia nulla vera sanationis initia existere in ijs possunt, qui non attendunt ad Legem, & Testimonium, Isa: 8. Qui non audiunt Moysen & Prophetas, Luc: 16. Et quorum corda nec dum purificari ceperunt agnitione ac fide Christi. Actor: 15. Quiq; Spiritum Christi non habent. Roman: 8. Quicquid dicitur ab illis fit, Maledictum est, atque peccatum, Psal: 109. Roman: 14. Nec ullæ hostiæ Deo placent, nisi Spirituales, & per Christum oblatae, 1. Pet: 2. emundatis iam antea conscientijs, sanguine ipsius, Ebr. 9. Ut sint bonæ ac sanctæ, 1. Tim. 1.

Sicut enim nihil acceptabile est Homini-

DE PECCATO

bus sine Luce, ita nihil Deo placet, absq³ Fidei lumine, Irenæ: lib. 3. Cap. 22.

Lactant: lib: 6. Cap: 9. Putemus, fieri posse, ut aliquis Naturali & ingenito bono virtutes capiat, qualem fuisse Cimonem Athenis accepimus, qui & egentibus stipem dedit, & nudos vestiuit, tamen cum illud unum, quod est maximum, deest, Agnitio Dei & Fides, iam illa bona omnia superuacua sunt, & inania, & frustra in his assequendis Homo laborauerit. Omnis enim iusticia eius similis est Humano corpori, non habenti caput.

Nazianz: ad populares suos. Nullum opus sine fide est ἐνεργησιον, siue eximium.

Augustin: de vera Inuocat: Cap: 56. Falsa virtus in optimis etiam Moribus est, ubi deest eterna veritatis agnitio.

Anselmus, Rom. 14. Omnis infidelium vita peccatum est, nihilque bonum, sine summo bono.

III. *Quia in non Renatis nimium hiulca & mutila est illa virtutum ostentatio, quod, particulis illi saltem aliquibus, ex secunda Decalogi Tabu-*

Tabula arreptis, nihil omnino de veris cultibus Deo prestandis, vel scire vel attingere eos potuisse, certum sit. Quomodo namque illum venerarentur, (inquit Cyrill: Hierosolym:) cuius Essentia atque voluntas ipsis fuit incognita, cuius providentiam toties negabant, cuius veritatem ac unitatem in tot Idola transformabant, & cuius patefactionem insuper tantoperè auersabantur?

Quid dicam de furoribus Ethnicis, ἀθεμιτοῖς etiam prorsus, in earum rerum violatione, quæ Hominum erga Homines Reuerentiam concernunt? Ubi Quinto, Sexto, & Septimo præcepto opposita publicè fuerunt, cruenta Spectacula gladiatorum, Jugulationes adolescentum, ad placandos Deos superos & inferos, prostitutiones virginum ac Matronarum, in Templis, quæ turpitudinis erant officinæ, permutatio coniugum, legibus Solonis concessa, & Furta Spartanis libera, usuraque centesima.

Jam & foris duntaxat, ἑυταξίας alicuius Hypocrisis interdum venditabant, cum intus multiplicis ἑυταξίας sentina, & flagitiosarum cupiditatum

DE PECCATO

tatum essent atque manerent Carninus, ut Lactantius ait, falsoq; nimis existimarent, pœnam malarum cogitationum nemini subeundam. Inde etiam fit, ut Scriptura ipsos quoq; phariseos in populo Dei, Ethnica falsitate pregnantes, sepulcris dealbatis similes esse affirmet, quibus Mortuorum cadavera teguntur, Matth: 23. Et parietibus quoque incrustatis, ubi externa pictura, latentem intus deformitatem obducit, Act. 23.

Taceo nunc à Magistris Philosophiæ tot antiquitus disputationes de officijs virtutum, institutas ac habitas, tot libros scriptos atq; editos, tot Exempla proposita & laudata, totque præceptiones factas, sed ab ipsis earum præconibus nunquam servatas, quemadmodum Aristotelis, Platonis, & aliorum historia ostendunt. Et Eusebius hac de re citat dictum Lacidis: Aliter in scholis disputamus, aliter vivimus.

IIII. Quia Homines nondum regenerati, nullo virtutis Amore, sed pœnarum magis formidine, aliquam honestæ actionis larvam induunt, nec referunt opera sua ad honorem Dei, & utilitatem publicam, sed alios potius fines ut
pluri-

ORIGINALI.

57

plurimum sibi propositos habent, ut sunt gloria
 inanis aucupium, lucri captatio, voluptatum
 venatio, superiorum aut parium oppressio, &c.
 Sui enim Amantes sunt, non DEI, aut bono-
 rum Hominum. 2. Tim. 3. Neq; tantum *ἑσγῶ* sua,
 verum etiam *πράξις* faciunt, ut ab alijs videan-
 tur, & magnifiant, Matth. 6. Deumq; illum
 tricipitem unice colunt, atq; observant, nempe
 Cupiditatem carnis, libidinem oculorum, & fa-
 stum vitæ. 1. Ioh. 2. Efferuntur applausu vulgi
 Psal. 63. 73. 144. Ferociunt ob Triumphos, &
 res bene gestas Daniel. 4. Appetunt primos ac-
 cubitus. Luc. 14. Degenerant in animalia ven-
 tris, Phil. 3. Et reliquum genus Humanum tan-
 quam Muscas & pulices, ex alto despiciunt,
 Psal. 10. Luc. 18. Ideo exitum sortiuntur, cum to-
 tius vitæ curriculo congruentem. Gloria enim
 eorum, gloria foeni. Isa. 40. Vanitas vanita-
 tum. Eccles. 1. Ipsi palea sunt, quas ventus dis-
 sipat, & ignis absument, Psal. 1. Matth. 3. 13.
 Conterentur sicut vas, & lagena figuli, de cuius
 fragmentis non inuenietur Testa, in qua gestari
 possit

P.

possit

DE PECCATO

possit igniculus de foco, aut parum aqua de fonte;
Psal: 2. Isa. 30.

CVR HÆC TAM ACCVRA-
tè inculcas, cum nostrum non sit, de extra-
neis iudicare? (1. Cor. 5.

Causæ plures sunt, eaq; gravissimæ.

I. Ut vitentur confusiones Religionum, & Ecclesia filij Dei secernatur à Reliqua colluie Hominum, quibus, post hanc vitam, letissimus Dei conspectus, & æterna Beatitudinis privilegium atque perfruitio minimè attribuenda est, etiamsi eorum conuersatio à lege Nature, seu recta Ratione & philosophicis præceptionibus interdum non abluat, sicut hic error in primitiua etiam Ecclesia flore ac sinu à nonnullis fuit sparsus, quem nostra Ætate renouarunt Cinglius, Latomus, & ante Iesuitarum, in Germania scholas, multi alij, ex quorum numero vnus, Ciceronianæ Eloquentiæ ac Sapientiæ Maiestatem admiratus in hæc tandem verba prorumpit: Vix me contineo, quin exclamem: Sancte Cicero, ora pro me.

Hoc

Hoc verò, quid est aliud, quam ipsa Theologia cœlestis principia ac fundamenta euertere prorsus, & Gentibus Alienigenis in sanctuarium Domini, Meretricia audacia, introductis, ex Peccato Originali ipsam puritatem, ex Christo, patronum omnis fœditatis, ex pœnitentia & fide ludibrium Sathana, & ex putidis Hominum impiorum, qui nec miseriam suam, nec veri ac viui Dei Misericordiam cognitam habent, obseruatiunculis, preciosissimas in Regno cœlorum facere Margaritas.

Stat igitur consensus Scriptura: Nihil inquinatum intrabit in urbem Dei, Apocal:21. Nemo venit ad patrem, nisi per me, Iohan:14. Nemo placet Deo, nisi qui bene egerit, Resipiscendo scilicet, Actor:10. Nec prodest Homini Iusticia, quam foris facit, absq; vera Dei cultura ac Fide. Non enim adiuuabit hæc Eum in die Ire, Nec liberabit eum in tempore interitus. Origenes Tractatu, 1. in Hiob.

II. Ut deprehendatur falsitas & vanitas Doctrinae Monastica, qua fingit, Homines extra Ecclesiam, legem Dei, ex puris Naturalibus posse

DE PECCATO

implere, qui tamen potissimam legis Diuinae partem non intelligunt, sed Nabales sunt, Psal: 14. tantum abest, ut incorruptas etiam Natura habeant vires, cum peccati dicantur mancipia, & patris sui Diaboli obsequantur desiderijs, Ioh. 8. Cum sint filij contumaces, Ephes: 2. Cum illorum concupiscentia non ex Deo proueniant, sed ex Mundo, 1. Ioh. 2.

III. *Vi* & ista Romana ^{ετιροδοξιας} structura concidat, cuius sine fundamento fastigium est, quod docent Aduersarij veritatis, nondum conuersos ad Deum, & peccata Mortalia vitare posse, & ad gratiae Diuinae perceptionem sese preparare, Quomodo enim Mortalia crimina defuturo, ne incurrant, cauebunt, in quibus nihil iam ante a veniale est? Imò a planta pedis usque ad verticem nulla in eis sanitas, Isa: 1. Opera illorum inutilia, & figmentum iniquitatis in manibus eorum, Isa: 59. Non possunt bene facere, cum didicerint malum, Ierem. 13. Ab alienati sunt à Matrice, & errauerunt ab utero, Psal: 58. Nec Animalis Homo ea percipit, quae Spiritus Dei sunt, 1. Corinth: 2. Et nisi ipse dicat, *Fiat Lux,*

*Lux, Tenebrae sumus atq; manemus, 2. Corint: 4.
Proinde Rectum cor non efficiunt opera, quan-
tumuis Recta. Bernhard: Serm: 24. in Cant. Et
licet gloriosa quaedam apud Homines videan-
tur, tamen ad vitam Aeternam quae pertinent,
nec cogitare, nec velle, nec desiderare, nec perfice-
re quisquam, (non Renatus) potest. Maxent: lib.
de Fide.*

HABENTNE ETIAM INFAN-
tes paruuli peccatum?

*Omninò habent: Et sumuntur probatio-
nes,*

*I. Ex dictis Scripturae. Figmentum cordis
Humani prauum ab Adolescentia, Genes: 6. 8.
Homo bibit peccatum, quasi Aquam, Ier: 15. Stul-
ticia agnata est cordi Adolescentis. Prouerb: 22.
Plura Testimonia ad superiores quæstiones ad-
iecimus, Et uniuersalis particula OMNES,
de paruulis etiam concionatur, quorum nullus
sine cupiditate concipitur, Chrysof: Homil: de
Adam, & Eua. Et Augustinus inquit, de Fide
ad Petrum, Cap. 23. Firmissime crede, & nulla-*

DE PECCATO

tenus dubita, omnem Hominem, qui per concubitum viri & Mulieris concipitur, cum peccato Originali nasci, Impietati subditum.

II. Ab ipsa experientia, quae multiplicem à prima statim puericia, Morositate, impatientiam, petulantiam, & aliorum peccatorum cumulum in paruulis demonstrat, & horum quidem nihil animaduersione aliqua notari posset, nisi ex scaturigine mali hereditarij omnia propullarent. Inde est, quod Hieronymus non dubitat affirmare, primulos infantium vagitus Malicia in ipsis abscondita documenta esse. Et, 2. Reg. 2. Tragica extat Historia de pueris in Bethel, qui risu & Ronchis prosequentes virum Dei Elyseum, magna & horrenda strage à duobus vrsis lacerati sunt.

III. A promissionibus Gratia, quas ad paruulos etiam pertinere manifestum est. Suauissimis enim verbis & amplexibus à Christo inuitantur ad regni caelestis consortium, & ipse benedicit eis, Matth: 19. Mar: 10. Ergo propter peccatum inherens antea sunt Maledicti.

IIII. A pœnis publicis & priuatis, quae tam
infan-

infantes excipiunt, quàm Adultos, nec parcitur
 etati tenellæ in Diluuiio, in conflagratione Sodo-
 morum, & excidio Hierosolymitano, & alijs
 Bellorum, incendiolorum, famis ac Pestilentia
 grassationibus, præter quàm quòd cum multis &
 magnis Morbis, vix iam spirantes ac Nati vel
 grauius conflictantur paruuli, Vel tantarum
 impressionum vi atque vehementia superati, ad
 primum statim vitæ ingressum, rursus extin-
 guuntur. Hinc Augustin: lib. 5. Hypognost. In-
 fantes moriuntur, Ergò habent peccatum.

CHRISTVS AIT, (Matth: 18.)
 Nisi conuertamur & fiamus sicut paruuli, ne-
 quaquam in Regnum Cælorum ingredi nos pos-
 se. Innuitur itaque, paruulos à peccato immunes
 esse, alioqui præ reliquis Hominibus non
 spectaret ad eos Regni cælestis
 possessio?

Duplex est Regnum cælorum, Ecclesia mi-
 litantis & Triumphantis. In Ecclesia Militan-
 te ab Apostolis & eorum sectatoribus non qua-
 rantur

DE PECCATO

rantur Superbia Fumi, aut propriarum utilita-
tum compendia. Nec certandum est Ambitio-
ne, Inuidia, emulatione & odijs, ut primus
aut summus aliquis Docendi locus tibi decerna-
tur, Sed puerilis demissio ac seruitus Mini-
stros verbi decet, Et qui omnia sua dona & bo-
na ad Aedificationem domus Dei, in silentij ac
spei fortitudine, liberaliter confert, eum Benedi-
ctionibus coronabit Deus, Psal: 84. Illi dabit
gratiam, 1. Pet. 5. Ipsius Talentum largo honore
augebit, Matth. 24: Et Bernhardus inquit, Ser:
2. de Conuers. Pauli, Internam & externam
paruitatem requiri in Bono dispensatore My-
steriorum Dei. Internam intelligit de Humili-
tate Spiritus, Externam de comitate & virtuti-
bus cognatis. Hanc igitur Regni caelorum, id est,
Euangelicae praedicationis, in operarijs fidelibus
proprietaem, pueri imagine Christus pinxit, &
ωσοκείμμενα vera subiectionis & mutuae Dilectio-
nis conspicienda nobis proponit. Ad superni ve-
ro regni Mansiones compendiarium, in unico
perruptore & Immanuele nostro viam quicumq;
affectant, illos ipsos quoq; repuerascere necessum
est, ut

est, ut non sensibus nimirum sed Malicia fiant
 paruuli: 1. Corinth: 14. Et ex immortalis semine
 eloquiorum ac Sacramentorum diuinorum Spi-
 ritu iam denuò nati infantes, 1. Pet. 1. & 2. Pu-
 rioris doctrinae lac semper sitiant, & incorru-
 ptam eius dulcedinem hauriant ex Maternis
 uberibus Ecclesiae, Psal: 8. Isa: 66. quòd Christus,
 qui est Scala nostra & porta in Caelum, sine
 quotidiana Euangelij auditione ac Meditatio-
 ne nunquam recte cognosci possit. Deinde ita
 quoque pueros imitentur, ut omnia ea, iuxta
 Chrysostomi expositionem, Homil: 28. in Matth.
 simplici ac fideli animo credentes sibi applicent,
 quaecunq; de persona & beneficij: Messiae, alijs
 docentibus, ipsi didicerunt. Et hac quidem una
 & Sola Ratione, vera Iusticia, Salus, & vita
 eterna nobis contingit. Quia autem paruuli
 Sancte educati non permittuntur plenis Remis
 ac velis in Mari enormium Delictorum nauig-
 are, Ideò nos etiam, Infantiae nostrae Spiritualis
 Memores, discamus repugnare vicijs Affecti-
 bus, qui militant aduersus Animam, & pro-
 pter gloriam Dei, & conscientiae propriae tran-
 quilli-

L

quilli-

DE PECCATO

quillitatem studeamus manere intra cancellos
Christiana pietatis, ne Fidei decus amittentes
gratia Dei, & hereditate Regni Cœlestis rursus
excidamus.

Hinc liquet, puerilem illam Humilitatem,
non esse peccati originalis carentiam, Sed Neces-
sariam in Ecclesia, de doctorum & Auditorum
officijs, instructionem.

AN VERO EX PARENTI-

bus etiam Renatis ac pijs nascuntur Fi-
lij peccato contaminati?

Sic quidem Diuina Oracula tradunt, Et
in eam sententiam primum nota sunt conciones
Prophetarum & Apostolorum, Genes: 5. Adam
genuit Filium in similitudine sua, iuxta imagi-
nem suam, Id est, Filius Adæ non est natus ad
primam Imaginem Dei, in qua pater Adam
creatus fuit, Sed ad Imaginem Naturæ pecca-
tricis & Mortalis, Psal: 51. Ecce in iniquitati-
bus conceptus sum, & in peccatis peperit me
Mater mea, Iohan: 1. Filij Dei sunt, non qui ex
sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neque ex
volun-

voluntate viri, Sed ex Deo nati sunt, Roman: 9.
 Non omnes, qui sunt ex Israel, sunt Israel, Ephes.
 2. Eramus & nos Natura Filij Iræ, quemad-
 modum & cæteri. Augustin: Serm: 14. de Verb:
 Apost. De Baptisato non nascitur Iustus. Idem,
 lib. 1. de Nupt: & concupis: Cap. 17. De Iustis &
 legitimis Nuptijs filiorum Dei, non filij Dei, sed
 Filij sæculi generantur.

Ad hos & similes Scripturæ ac Vetustatis
 indices, addantur nunc deinceps Exempla ma-
 nifestæ Impietatis & Turpitudinis in Sanctissi-
 morum Heroum Filijs, quorum plerique facti
 sunt Noxæ, & re ipsa Testimonium dixerunt, de
 paterna, quam nascentes secum attulerunt, im-
 mundicie. Et in isto Catalogo primas ferè obti-
 nent, Cain, Ismael, Esau, Filij Eli, Samuelis, Da-
 uidis, & Manasses quoque Boni patris malum
 pignus, Marcion etiam, Sanctissimi Episcopi
 Filius, & multi præterea alij, quorum Nomina
 patefaciet in illa die, Iudex viventium ac Mortu-
 tuorum, Iesus Christus.

Deinde non minus è vita hac emigrant vel
 repente vel lentè morbo rursus absumpti, Iusto-

Q 2 rum

DE PECCATO

Iustorum liberi, quàm Reliqua Humani Generis fex, quòd Sola etiam nascendi conditione Mortales sint, & Iudicij illius Diuini sententia, teneantur: Terra es, & in Terram redibis, Genes: 3.

Huc postremo etiam loco accedit Regenerationis Necessitas, quam credentium quoque Filijs Christus imponit, Iohan: 3. & quidem propter peccati sceditatem, qua originaliter deformantur, Eph: 2. Gignitur enim peccator actu adhuc nullus, & ortu nouus, Sed Reatu vetus Homo, captiuus à Deceptore, indigens Redemptore. Augustin: lib: 1. de Nupt: & concup. Cap: 19. Adscribam autem duo præterea eiusdem Auctoris dicta, quæ sententiam hanc magis illustrant atq; confirmant ut, Tract. 41. in Iohan. Quos videtis in manibus Matrum paruulos ferri, Non dum ambulant, & sunt compediti. Traxerunt enim ab Adam, quod saluatur à Christo. Et, lib. contra Pelag: & Cælestin: Siue reus infidelis, siue Absolutus fidelis, non absolutos uterq; generat sed Reos, Quia ex viciosa Natura generat uterq;

Sed

ORIGINALI. 63
SED SCRIPTURA SANCTOS
pronunciat, qui ex alterutro tantum Fideli pa-
rente progeniti sunt, quanto igitur magis
sancti erunt, quibus uterq; parens
Iustus & pius
fuit?

Obiectio sumpta est ex concione Pauli, 1. Corinth. 7. de coniugibus dissentientibus ob Religionem, quos sic affatur: Liberi vestri sancti sunt. Orthodoxè autem respondetur, duplicem esse Sanctitatem, personæ, & status, seu vitæ conditionis. De posteriori hac, sermo nunc est Apostolo, qui coniugium etiam illorum dicit esse Sanctum, id est, à Deo concessum, & Deo placens, quorum Animi nondum in unius de Deo Fidei & confessionis societate coaluerunt. Ideò filios etiam quos gignunt sanctos pronunciat, id est, legitimos, & ex sancto genere vitæ procreatos, seu ex coniugali castitate, quæ sanctitas est, 1. Thessal. 4. Ebr. 13. Non igitur peregrina illa ^{δικαιοσύνη} affingenda est dicto Pauli, quod ex Sanctificatis Fide parentibus talis generetur Soboles,

Q 3

quæ

DE PECCATO

peccato non sit polluta. Ex Diametro enim pugnat hæc Anabaptistarum opinio cum uniuersa scriptura Prophetica, & Apostolica. Nec profuit Augustino Matris Monica pietas ad gratiam & salutem, quam propria ille tandem Fide, à Spiritu Sancto, uerbi ministerio, de super illustratus, apprehensam consecutus est. Et Ambrosius Canone 38. in 1. Corinth: inquit. Sancti sunt eorum liberi, quia de coniugijs licitis nati sunt. Hoc veteris in Ecclesia doctoris Testimonium addere uolui, ne forte ἰδιόθεν ἕνεκα quibusdam viderer.

ERGO ET SANCTI IN HAC
vita, post Regenerationem, peccatum habent?

Si dixerimus, nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est, 1. Ioh. 1.

Hæc tenenda sunt,

I. Contra Origenem, qui Gnosticos quosdam & perfectos esse finxit,

II. Con

II. Contra Pelagium, qui docuit, Sanctos, in corpore Mortali hic peregrinantes, alienam personam representare, cum peccatū sibi tribuunt. Augustinus verò lib: de Ecclesiast: dogmat. cap: 37. inquit. Sancti serio & in sua persona orant, Dimitte nobis debita nostra. Anathema igitur sit, qui contrā sentit, & fictionem hac in parte Sanctis tribuit.

III. Contra Pontificios, qui ad eius Cantilena repetitionem hoc quoq; Diaboli ἀκρόαμα acciunt, Malum Originale penitus in hac vita extirpari ex corde & Natura Renatorum, & concupiscentiam in ipsis residuam, non esse peccatum. Querunt etiam ac ponunt Hypocritica alicuius perfectionis laudem in operibus Electicis, & à Norma legis Diuinae prorsus alienis, ut sunt vota Monastica, Ieiunia, & cœlibatus omni impuritate impurior.

III. Contra Antinomios, quorum χριστολογίαι καὶ θεολογίαι sunt, Homines superna luce innouatos, sua deinceps sponte in stadio sanctitatis ac Iusticiae, adeò gnauius atq; alacriter cursum suū urgere, ut exhortationum iam atq; incitationū ad pietatem

DE PECCATO

tem stimulos ipsis addere, nihil sit opus. Ceterum blandimentis hisce, assentatione multa politis, non languentes tantum animoq; remissi, Verum lethargici etiam prorsus, ad vera Christianismi exercitia, plerique effecti, libertate Euangelica, quæ spiritualis est atque cælestis, ad voluptates carnis sectendas flagitiosè nimium abutuntur.

RECITA PORRO PRÆCIPVA
Testimoniorum capita, de imperfectione Sanctorum in hac vita, propter peccati Originalis Reliquias in ipsis hærentes.

Argumenta probationum suppeditant,
I. Generalis Notatio Residua infirmitatis, postquam sanari iam cæpit Natura in Homini- bus ad Deum conuersis, & Christo insertis. Quis enim dicere potest, Mundus sum in corde meo? Prouerbior. 20. Septies in die cadit Iustus, Prouerb: 24.

Prosper, lib. de promiss: & prædict. Dei.
Multis vicijs impliciti tenemur in hac vita.
Epipha-

Epiphanius. Her:64. Viuente adhuc corpore, antequam moriatur, necesse est simul viuere peccatum, intus in nobis Radices suas abscondens, etiamsi forinsecus per castigationum & admonitionum sectiones, fuerit refrenatum. Alioqui, post Illuminationem non contingeret nos iniusta facere, utpote Peccato penitus sinceriter à nobis ablato. Nunc verò etiam postquam credimus, & ad aquam purificationis deuenimus, sæpè in peccatis reperimur. Homo enim non sic se à peccato alienum esse iactet, ut neq; omnino in Animo de iniquitate cogitet. Quare constat, contrahi quidem ac sopiri per fidem nunc peccatum, non tamen radicitus tolli, etc.

Dicere igitur, se sine peccato esse, Iustum non potest exhibere sed fingere. August: Tractatu 84. in Ioh.

II. Ipsa Hominis Renouatio, quæ non fit in momento, sicut Remissio peccatorum, Sed Successiue & gradatim, in tota vita. Nam à luce in lucem transformamur, tanquam à Domini Spiritu, 2. Corinth:3. Seu lux Spiritualis subinde crescit in pijs, Proverb:4. 2. Pet.3. Et Interior

R

Homo

DE PECCATO

Homo renouatur de die in diem, 2. Corinth: 4. Et nunc ex parte tantum cognoscimus, & ex parte prophetamus, postquam autem aduenerit, quod perfectum est, tunc, quod ex parte est, abolebitur, 1. Corinth: 13. Nec nulla deinceps curatione opus habet, qui in latrones incidere at, spoliatus ac vulneratus Homo, sed in Diuersorium à Samaritano ductus, post vini etiam atq; olei infusionem, medicina adhibita, Recreatur magis atq; confirmatur, Luc. 10.

Augustin: lib: 14. de Trinit: Cap. 16. Prima curatio est, causam remouere Languoris, quod per omnem fit indulgentiam Peccatorum. Secunda, ipsum sanare languorem, quod fit paulatim proficiendo in Renouatione huius imaginis.

Prosper, de vita contemplat. Cap. 9. Etsi dimissa est omnis iniquitas, non tamen adhuc sanata est eius infirmitas, Sed sanatur.

Bernhard: Serm: de Cœna Dom: In casu primi Hominis cecidimus omnes. Cecidimus autem super aceruum lapidum, & in luto, unde non solum inquinati, Sed etiam vulnerati, &
gra

grauiter quassati sumus, Lauari quidem citò
possumus, Ad sanandum verò opus est curatione
multa.

III. Perpetua lucta carnis & Spiritus,
Galath. 5. Seu legis Membrorum, cum lege Di-
uina, Roman: 7. Affectus enim & perturbatio-
nes, quamdiu in Tabernaculo Corporis huius ha-
bitamus, & fragili carne circumdamur, mode-
ratè regere possumus, amputare non possumus,
referente Hieronymo, Epist: 88. Augustin: lib: 2.
de vocat. gent. Cap. 9. In Hominibus, donec caro
concupiscit aduersus Spiritum, & Spiritus ad-
uersus carnem, & donec Spiritus quidem prom-
ptus est, Caro autem infirma, non reperiri po-
test incommutabilis Animi fortitudo, quoniam
non huius sed alterius vitæ est, perfecta & secu-
ra felicitas.

IIII. Confessio Sanctorum, qui caliginem,
dubitationem ac contumaciam multiplicem, re-
liquam in Natura corrupta, sentientes, excla-
mant. Facti sumus, velut immundum, omnes
nos, & uniuersæ iusticiæ nostræ tanquam pan-
nus Menstruata, Isa. 64. Verebar omnia opera

R 2 mea.

DE PECCATO

mea. Iob. 9. Serui inutiles sumus, Luc. 17. In carne mea, non habitat Bonum, Rom. 7. etc. Praclare itaq; Origenes, Homil: 10. in Num: Si Sancti sine peccato essent, nunquam diceret Scriptura: Iustus in principio accusator sui ipsius.

Basilii, de Pœnitent: Non Angeli sumus, sed Homines, & cadimus & resurgimus, idque sæpius eadem Hora.

Cyprian: Serm: de Ieiun. Fuerunt & ante Christi aduentum viri Insignes, Prophetæ & Sacerdotes, Sed in peccatis concepti & Nati, nec Originali nec personali caruere delicto, & inuenta est in omnibus, vel ignorantia, vel insufficientia, in quibus erronei peccauerunt, & egerunt Misericordia Dei, per quam edocti & instituti, gratias egerunt Deo, & ad plenitudinem iusticiæ multum sibi deesse confessi sunt, & in Deo sperantes nullam sibi soliditatem attribuere præsumpserunt.

Lactant: lib. 6. de vero cultu, Cap. 13. Nemo sine peccato esse potest, quamdiu Indumento carnis oneratus est.

Augustin: Serm: 5. de Verb. Apost. Homi-
nes

nes sumus, & Apostolos sanctos agnoscimus Homines, Vasa electa, sed adhuc fragilia, in carne permanentes, et nondum in caelesti patria triumphantes.

V. Gemitus ac Orationes Sanctorum, Psal: 32. Pro hac orabit ad te omnis sanctus, Psal. 143. Ne intres in Iudicium cum seruo tuo, Daniel. 9. Misere nostri, propter Dominum, Matth: 6. Luc: 11. Remitte nobis debita nostra.

Augustin: lib. Quaest: ad Hilar. q. 1. Omnibus necessaria est Oratio Dominica, quam ipsis etiam Arietibus gregis, Id est, Apostolis suis Dominus dedit, ut unusquisq; Deo diceret: Dimitte nobis debita nostra.

Idem, lib. 3. Contra Pelag: Cap: 5. Quid excellentius, in veteri populo, Sacerdotibus Sanctis, & tamen eis praecepit Deus, sacrificium primum offerre pro suis peccatis? Quid sanctius in Novo populo Apostolis, & tamen praecepit eis Dominus in oratione dicere, Dimitte nobis debita nostra?

VI. Tot Regulae ac praeceptiones de studio retinenda Iusticiae & cauendorum lapsuum, in

DE PECCATO

tanta Natura ac vita huius lubricitate, Quales sunt: Vigilate & Orate, ne introeatis in Tentationem, Matth:26. Vide in te Benignitatem Dei, si permanseris in Benignitate, alioquin & tu excideris, Roman:11. Qui sibi videtur stare, videat, ne cadat, 1. Corinth:10. Videte, quomodo circumspectè ambuletis, Ephes:5. de quo dicto extat memorabilis Historia apud Nicephorum, lib.13. Cap:33. ubi Occidentalium Ecclesiarum legatis Constantinopoli haerentibus, secundum quietem, hæc vox audita fuit: Βλέπετε ὡς ἀγγελῶς περιπατεῖτε. Et Iohannes inquit, 1. Epist: Cap: 2. Filioli, hæc scribo vobis, ne peccetis. Iacob: 4. Resistite Diabolo, & fugiet à vobis.

VII. Exempla lapsuum in Abrahamo Mentiente, in Moysè dubitante, in Aarone graviter hallucinante, in Saule Impietatem sectante, in Davide Adultero, Homicida, & Hypocrita, in Salomone Idolorum cultore, in Iuda proditore, & Petro abnegatore, etc. quorum aliqui amissa gratia & excusso Spiritu Sancto, ad pœnitentiam tandè redierunt, Aliqui verò à profunditate horribiliū excessuum absorpti, & à Deo abiecti,

iecti, manserunt vasa Ira, & socij Diabolorum, aduersus quos, milites Christiani semper stent ac Vigilent, ne dentes horum leonum incurrant, à quorum Vnguibus interdum Vulnerati, imbecillitatis & sua & nostra stigmata portarunt.

Legitur enim sanè Homo sine Crimine, legitur sine querela, sed non legitur sine peccato, nisi filius Hominis, Vnus idem Dei Filius. Augustin. de perfect. Iustic.

Et Macarius inquit, Hom. 15. An ignoras, multos ab Aduentu Domini ad hoc vsq; tempus baptisatos esse, & nihilominus interdum prauis cogitationibus indulfisse? Nonne ex eorum numero quidam Conuersi sunt ad vanam gloriam, stuprum, aut ingluuiem? Post Baptismum igitur pabulum etiam habet prado, & ingredi potest.

VIII. Quotidiana Remedia aduersus quotidianos lapsus à Christo instituta, Conciones nimirum pœnitentiæ & gratiæ, Absolutio publica & priuata, Et communicatio Corporis & Sanguinis Christi in Cœna.

IX. Innumera calamitates, quibus pij exercentur, vt peccati Reliquias intelligant, & in
flagi-

DE PECCATO

flagitijs enormibus vitandis cautiores sint.
Nam Iudicium à domo Dei incipit, 1. Pet. 5.

Hinc Origenes, Homil: 10. in Num: Si Sanctus sine Peccato esset, non diceret Dominus per Ezechielem prophetam ad Angelos, quos mittebat, peccatores punire: Et à Sanctis meis incipietis. Si enim Sancti peccato carent, Quomodo ipsi primum succumbunt in supplicijs peccatorum.

X. Nostra Mortalitas. Etsi enim Spiritus vivit propter Iusticiam, tamen corpus mortificatur propter peccatum, Rom. 8. Et statutum est omnibus Hominibus semel Mori, Ebr. 9. Ideò colligimur ad patres nostros, Genes: 25. Ingre-
mur viam univèrsæ Terræ, 1. Reg. 2. Et post Remissionem peccatorum, non ademit Deus Mortem, propter exercendam Iusticiam, Augustin: lib: 2. de peccat. Merito, & Rem. Cap. 34. Nec à vitijs carnis Immunes esse possumus, nisi tabernaculo hoc deposito, ex Diaboli venenatis faucibus penitus liberemur. Cyprian: de Mortal.

Quo-

QVO MODO IGITUR CON-
stabit dictum Iohannis: Qui natus est ex Deo
non peccat, (1. Iohan. 3.) Si Renati Sordibus
adhuc multis obnoxij sunt?

Peccata non sunt Æqualia, Sed certis gra-
dibus distincta. Ideo natus ex Deo, & in quo ma-
net semen Dei, ut Iohannes inquit, non peccat,
peccato ad Mortem, quamvis leuiore peccato
non careat, sine quo vita ista minimè ducitur,
quemadmodum Cassiodorus, in enarratione li-
bri Canticorum hunc locum explanat. Etsi enim
multiplex in sanctis reliqua adhuc est infirmi-
tas, tamen non ita illi contraria faciunt Regene-
rationi suæ, ut aduersus fundamentum furenter
ruant, & à sinceritate Doctrinæ, Fidei & Bonæ
conscientiæ tota Via aberrant, aut contumaciter
in agnitis delictis perseuerent, sicut manifestè &
Superbè impij, sed in lapsum aliquem præcipita-
ti, matura ac seria pœnitentiæ resurgunt, &
omnibus modis scandala vitare student, ipsius
Dei virtute, qua ad salutem non vocamur tan-
tum, Sed etiam custodimur, 1. Pet. 1.

S

Atqui

DE PECCATO

ATQVI PAVLVS VVLT, EPI-
scopum irreprehensibilem esse, (1. Tim: 3.) Ergò in
hac vita omninò potest exui peccatum.

Irreprehensibilem esse, & peccatum non ha-
bere, diuersi sunt Termini, nec valet consequen-
tia à specie ad Genus, sed e contrà, Et non statim
ἀναμάσθητ' est, quem ἀνέγκλητον seu ἀνεπίληπτον esse
decet. Talem igitur Episcopum Paulus requirit,
qui Notorij et atrocis alicuius sceleris, quod Hu-
mano iudicio accusari possit, non perhibeatur esse
Reus. Alioqui sanè non est Iustus in terra, qui,
quanquam bona facit, non etiam peccet, Eccles. 7.

SED, (Matth. 5.) SCRIPTVM EST:
Estote perfecti, sicut pater vester cœlestis perfe-
ctus est. Quomodo igitur imperfectio ali-
qua in credentes & iustos cadit?

Verba Christi non accipienda sunt, ἢ τὴν προσχε-
ρον ἐκδοχὴν, Vt Basilus loquitur, sed ex considera-
tione totius σωτήριατος, quod euidenter monstrat,
Filium Dei ad eam equalitatem nos remittere,
quæ nullum habet Personarum Respectum in of-
ficijs Beneficentiæ, sed ad Dei exemplum proxi-
mè

mè accedens aliorum iniurias liberalitate sua vincit, sicut ille uniuerso Hominum generi Amicus est, et propter Filium, quem pro nobis tradidit, cum hostes etiam essemus, Solem suum exoriri facit super Malos & bonos, & pluuiam mittit super Iustos & iniustos. Cum igitur ad Benigni huius patris non agnitionem modo, Sed imitationem quoque conditi atque redempti simus, tam excellentis in eo Bonitatis speciem ac formam, studeamus adumbrare, ut perfectioni ipsius conformitate aliqua Morum respondeamus, quandoquidem integra puritate, quæ in hac mortali Natura non reperitur, similes illi esse haudquaquam possimus.

Quis enim perfectum illum gradum assequutus est unquam, ut omnis peccati penitus esset expers? Macar. Hom: 8.

Et Hieronymus ait, lib. 1. contra Pel. Cunctorum in carne iustorum imperfecta perfectio est.

CVR VERO EZECHIAS REX de perfectione sua, apud Dominum, gloriatur, inquiens, (2. Reg. 20. & Isa. 38.) Recordare Domine, quod ambulauerim coram te, in veritate, & in corde perfecto, etc.

DE PECCATO

Perfectum, phrasi Scripturæ, interdum opponitur simulationi, ut perfecta Charitas foras eijcit timorem, 1. Ioh. 4. Sic Ezechias non finxit pietatem, Sed re ipsa Fidem suam Deo probavit, et in toto curriculo gubernationis, sincero ac constanti pectore sustulit Idola, et restituit veros cultus Dei, iuxta ipsius verbum, quod qui sequitur & vocationis suæ officia explet, etiamsi aliàs hallucinetur, In veritate tamen & perfectione ambulat, propter mandatum Dei, in quod intuens, Deo placentia & Hominibus salutaria facere studet. Notatur itaq; hoc loco, Non personæ sed officij perfectio, sicut Lutherus interpretatur.

Deinde hæc vox usurpatur de perfectione partium, quæ est copulatio omnium articulorum Doctrinæ diuinitus patefactæ, & opponitur ijs, qui in unam partem inclinant, & ab alia parte fugiunt. Neque enim perfectam veritatem tenebit, quisquis aliquam veritatis portionem excluderit, quemadmodum Tertullianus dicit, lib. de Trinit. Ita Ezechias quoq; habuit perfectionem partium, id est, Integram de Deo Doctrinam & cognouit ipse, & suis etiam subditis proponi curavit,

ravit, quanquam obœdientia erga doctrinam non potuit esse omnibus numeris perfecta & absoluta, quòd in hoc peccati corpore Nemo tantum credit & diligit, quantum debet. Proinde Paulus etiam Apostolus & perfectionem suam & imperfectionem, ad Philippenses 3. allegat, his verbis: Non quòd perfectus iam sim. Et paulò post: Quotquot itaq; perfecti sumus, hoc sentiamus. Illic enim de perfectione graduum, seu de integra obœdientia loquitur, à qua longissimè etiã sancti in hac vita absunt. Hic verò perfectionem partium nominat, quæ est custodia totius Evangelicæ puritatis, & Bonæ militiæ militatio, In fide, & conscientia sancta, Vitante enormes excessus, pugnantes cum fundamento.

Hieronymus sic exponit, aduers. Pelag. Paulus fuit perfectus, spe futuræ glorificationis, fuit autem Imperfectus, onere corruptionis & Mortalitatatis. Fuit perfectus expectatione Muneris, fuit Imperfectus fatigatione certaminis. Fuit perfectus, plenissimè sciens, quia Deus, quacunq; promisit, potens est facere. Fuit autem Im-

DE PECCATO

perfectus, quia Deus in sanctis suis, quaedam non dum fecit, ex omnibus, quae promisit.

Irenaeus vero lib. 5. simpliciter perfectionem interpretatur de perseverantia, Ubi ait: Perfecti sunt, qui Spiritum Dei in se perseverantem habent, & Animas & Corpora sua sine querela servant, custodientes illam, quae ad Deum est fides, & eam, quae ad proximum est, Charitatem.

QVOMODO IGITUR ET
per quem à peccato liberamur?

Sola Fide in Christum Mediatorem, cuius obœdientiam & satisfactionem, Ministerio Verbi ac Sacramentorum, Spiritus Sanctus nobis applicat, ut Iusticia gratuita donati, & Renouatione aliqua in nobis hic inchoata, ad eternam illam tandem & Beatam Vitam, per Christum, transeamus, Ubi, prorsus abolito iam per Mortem, peccato, integra in nobis Iusticia & sanctitas perpetuo fulgebit.

FINIS,

ERRATA QVÆ AB OPERIS
irrepserunt, sic emenda.

Fol: 46. pro, contunderetur lege confundere-
tur.

Fol: 49. b. pro, omnis, omnes.

Fol: 52. b. pro, ut primo, & primo.

Fol: 60. b. pro honore, fœnore.

Fol: 65. a. pro dicere, Dicens.

Reliqua, quoniam ea grauia esse non putamus,
candidus lector per se facile corriget.

GVSTROVII
IMPENSIS M. FRANCISCI
Omichij, Et Uuarneri Langij.



ERRATA OVER AB OPERIS

Fol. 46. pro, contumeliosum lege confunderet

int.

Fol. 49. b. pro, omnia omnia

Fol. 52. b. pro, et omnia, et prima

Fol. 60. b. pro, honor, honor

Fol. 62. a. pro, dicit, dicitur

Reliqua quoniam ea gratia esse non potuerunt
candidatus lector, et sic corriget.

CVSTROVII

IMPERIALIS M. TRANCISCI

Caes. Elect. Saxon. Landgr.



7


Ar. 155058


ULB Halle 3
002 815 087



sb







DOCTRINA
 ECCATO
 INALI, QV AE
 NIBVS ORTHO-
 xis breuiter illu-
 strata.

Autore
 E A C E L I C H I O.



Gustronij.
 Augustini Ferberij, Anno 1582.
 privilegio ad Decennium.